DE

APOLLODORI BIBLIOTHECA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE VIII. M. MARTII A. MDCCCLXXIII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS ROBERT
HASSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
RUDOLPHUS WEIL, DR. PHIL.
AUGUSTUS FRITZE, CAND. PHIL.
WALTHERUS ENGEL, CAND. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE).
Marienstr. 10.

RENARDO KEKULÉ

SACRUM.

Libellus, qui vulgo Apollodori bibliotheca audit, quam nobis largam eamque optimis auctoribus debitam ad pernoscendas veterum fabulas suppeditet copiam, cum neminem fugiat, de origine tamen, consilio, natura libelli in diversissimas partes abiit virorum doctorum iudicium. Denuo igitur hanc quaestionem instituturus antequam ad ipsam disputationem accedam, hic varias variorum virorum opiniones brevi indicabo.

Aegius igitur Spoletinus, qui primus bibliothecam multis sane modis interpolatam in lucem edidit Romae a. MDLV cum pro explorato haberet, libellum ab illustrimo illo περὶ θεῶν opere non esse diversum, in fronte editionis suae „sive de deorum origine" addidit. Alii vero cum illud περὶ θεῶν opus et ambitu bibliothecam longe superasse, quippe quod ex libris constaret viginti quatuor[1]), et multa continuisse, quae in bibliotheca non extarent, ex veterum scriptorum testimoniis intellexissent, de compendio[2]) maioris illius operis cogitare maluerunt; quam sententiam amplexi sunt Reinesius, I. G. Vossius, Burmannus, Faber, Barthius

[1]) v. Photii bibl. cod. 161. res nunc confirmatur testimonio Philodemi 3ª p. 64 editionis Gomperzianae.

[2]) Eiusmodi compendium re vera Sopater fecerat. Photius l. l.

ab Heynio comment. p. XLIV citati. Utramque opinionem egregie refutavit Th. Galeus de historiae poeticae scriptoribus p. XXXV, bibliothecam a libris περὶ θεῶν alienissimam neque profecto epitomen judicandam esse tam certis argumentis efficiens, ut non satis mirari possim, quemquam post illum in alterutram sententiam incidisse; ipse autem Galeus nullus dubitavit, quin bibliotheca re vera ita, ut hodie quoque extat, ab Apollodoro scripta esset. Adsensus est Galeo Heynius l. l. Clavierus[3]) contra cum hunc libellum scatere fere rebus inter se repugnantibus neque a quoquam laudari nisi a Photio et in scholiis mox enumerandis vidisset, nullam aliam patere viam ratus est, quam ut bibliothecam ex complurium Apollodori operum (περὶ θεῶν, περὶ νεῶν, χρονικά diserte adfert) pannis aegre consarcinatam esse statueret; quam coniecturam Stephani Byzantii s. v. Δύμη verbis Ἀπολλόδωρος ἢ ὁ τὰ τούτου ἐκτεμόμενος fulciri putat; nam quod ea ipsa, ad quae Stephanus respicit, Apollodori verba hodie in bibliotheca non leguntur, id ita explicare studet, ut ea una cum aliis libelli partibus in nostris exemplaribus intercidisse suspicetur.

Tum Welckerus[4]) de epitome Claviero adsensus Apollodorum κύκλον μυθικόν (bibliothecae enim titulum genuinum esse negat) composuisse arbitratus est, in quo id ageret, ut totum veterum fabularum ambitum in certum ordinem redactum uno opere comprehenderet, amplissimum autem illud opus a posterioris aetatis

[3]) Apollodori bibliotheca ed. Clavier Paris 1805.
[4]) epischer cyclus I p. 83.

homine in huius libelli angustias contractum esse. Novis argumentis hanc opinionem fulcire sibi visus est Funkius de Apollodoro Atheniensi. Berol. 1869. C. Müllerus denique F. H. G. I p. XLI. Welckeri vestigia secutus eo audaciae procedit, ut mythologicum illud Apollodori opus cum et ipsum versibus iambicis conscriptum esset, postea cum chronicis in unum volumen coniunctum, coniunctis libris nomen bibliothecae inditum esse statuat.

Unus, quantum ego sciam, Isaacus Vossius ad Pomponium Melam p. 36 bibliothecam tanto grammatico plane indignam esse iudicavit; quare libellum aut titulum mentiri aut alterius esse Apollodori arbitratur.

CAP. I.

De bibliothecae auctore.

Omnibus, qui de Apollodori bibliotheca agere adgrediuntur, exeundum est a Photii verbis, cod. 186. p. 142 a 37 Bekk. *ἐν δὲ τῷ αὐτῷ τεύχει* (sc. in quo Cononis quoque narrationes legebantur) *καὶ Ἀπολλοδώρου γραμματικοῦ βιβλιδάριον ἀνεγνώσθη μοι βιβλιοθήκη αὐτῷ ἡ ἐπιγραφή. περιεῖχε δὲ τὰ παλαίτατα τῶν Ἑλλήνων, ὅσα τε περὶ θεῶν τε καὶ ἡρώων ὁ χρόνος αὐτοῖς δοξάζειν ἔδωκεν, ὀνομασίας τε ποταμῶν καὶ χώρων καὶ ἐθνῶν καὶ πόλεων, ὅθεν, καὶ τὰ ἄλλα*[1]*), ὅσα εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀνατρέχει, καὶ κάτεισι μέχρι τῶν Τρωϊκῶν, καὶ ἀνδρῶν τινῶν πρὸς ἀλλήλους μάχας καὶ ἔργα ἐπιτρέχον καὶ τῶν ἀπὸ Τροίας πλάνας τινάς, μάλιστα δ'Ὀδυσσέως, εἰς ὃν αὐτῷ καὶ ἡ ἀρχαιολογία καταλήγει. σύνοψις δ'ἐστὶ τὰ πολλὰ τοῦ βιβλίου, καὶ οὐκ ἄχρηστος τοῖς τὰ παλαιὰ ἐπὶ μνήμης ἔχειν λόγον ποιουμένοις. ἔχει δὲ καὶ ἐπίγραμμα τὸ βιβλιδάριον οὐκ ἄκομψον τόδε·*

Αἰῶνος πείρημα[2]*) ἀφυσσάμενος ἀπ' ἐμεῖο*
παιδείης, μύθους γνῶθι παλαιγενέας,

---

[1]) Rectissime Bekkerus codicis A i. e. Veneti lectionem recepit; vulgo enim legebatur *πολλὰ* et illud *ὅθεν*, quod ad *ὀνομασίας* spectare patet, perperam cum sequentibus coniungebatur. Omnino unus Bekkerus Photii verba recte distinxit.

[2]) sic A. ceteri, ut videtur, *σπείρημα*. vulgo ex Salmasii coniectura *αἰώνων σπειρήματ'* scribitur.

μηδ' ἐς Ὁμηρείην σελίδ' ἔμβλεπε, μηδ' ἐλεγείην,
μὴ τραγικὴν Μοῦσαν, μηδὲ μελογραφίην,
μὴ κυκλίων ζήτει πολύθρουν στίχον· εἰς ἐμὲ δ' ἀθρῶν
εὑρήσεις ἐν ἐμοὶ πάνθ' ὅσα κόσμος ἔχει.

Haec paulo accuratius dici potuisse libenter concedo; sed quo ore quisquam haec nihil esse nisi apparatum tumultuarium contendere audeat, ego prorsus non adsequor. Dicit enim Photius continere bibliothecam antiquissimas res Graecorum, scilicet primum ea, quae de diis heroibusque pro aetatis suae ratione opinari potuerint, tum fluminum, regionum, gentium, urbium appellationes, unde originem ceperint, denique cetera omnia, quae ab ultima antiquitate repetantur; descendere vero libellum usque ad bellum Troianum, singulorum virorum certamina ac facta attingentem Graecorumque a Troia revertentium, maxime vero Ulixis errores describentem. Quibus in verbis unus tantum latet error; Photius enim cum haec conscriberet, oblitus est nonnulla certe hoc libello narrari, quae aliquo demum tempore post Troiam captam accidissent, v. c. Heraclidarum in Pelopis insulam reditum. Sed eiusmodi errorem homini summam libelli modo perlecti breviter adumbrare studenti singulaque non iam satis accurate memoria tenenti facile condones, praesertim cum in rebus Troianis et iis, quae eas olim excipiebant, libellum desiisse ex eiusdem Photii verbis appareat. Quod vero nec de bello Troiano nec de Ulixis aliorumque reditu quicquam hodie in bibliotheca invenitur, id, cum codicum nostrorum ἀρχέτυπον in calce mutilatum fuisse iam dudum intellectum sit, nulla explicatione

indiget. Ne autem de appellationum origine enarrata dubites, apponam tibi, quae eiusmodi in bibliotheca occurrunt; multis enim hanc praesertim rem scrupulum movisse video.

Ἀστερία 7, 18[3]) — *Ἀγέλαστος πέτρα* 9, 11 — *Αἶμος* 12, 28 — *Οἰνόη* 19, 32 — *Ἑλλήσποντος* 20, 21 — *Ἀθαμαντία* 21, 7 — *Κίος* 28, 10 — *Ἄρπυς* 29, 19 — *Στροφάδες νῆσοι* 29, 24 — *Τόμοι* 32, 4 — *Ἀψυρτίδες νῆσοι* 32, 31 — *Ἀνάφη* 33, 13. — *Μηδία* 35, 12. — *Ἴναχος* 35, 20 — *Αἰγιάλεια* 35, 23 — *Ἀπία* 35, 27 — *Πελασγοί* 36, 1 — *Ἄργος* 36, 3 — *Βόσπορος* 37, 8 — *Μέμφις* 37, 23 — *Αἴγυπτος* 38, 3 — *Τηλεβόαι* 46, 17 — *Ἀβδήρα* 56, 27 — *Ἡρακλεία* 57, 24 — *Ἰταλία* 59, 27 — *Ἰκαρία* 64, 27 — *Ναύπακτος* 73, 3 *Κιλικία* 75, 19 — *Θάσος* 75, 21 — *Μίλητος* 75, 31. — *Κρητηνία* 77, 12 — *Δίρκη* 84, 5 — *Ἀκαρνανία* 94, 2 — *Ἄργος Ἀμφιλοχικόν* 94, 14 — *Τραπεζοῦς* 95, 4 — *Λακεδαίμων* 99, 25 — *Τεῦκροι* 103, 7 — *Δάρδανος* 103, 10 — *Δαρδανία* 103, 11 — *Τροία* 103, 16 — *Ἴλιον* 103, 31 — *Αἴγινα* 106, 29 — *Κεκροπία* 110, 22 — *Ἀθῆναι* 111, 5 — *Ἀτθίς* 112, 21 — *Πύλος* 116, 25.

Hic numerus facile augeri potest, si ea addas regionum nomina, quorum ratio non diserte indicatur, sed facile subauditur veluti 59, 25 *ἀπὸ* ***Ῥηγίου*** *δὲ εἰς ἀπο****ῤῥήγνυσι*** *ταῦρος* aut quae cur data sint, ex fabula narrata omnino non potest intellegi velut 92, 11 *Θηβαῖοι δὲ—πόλιν Ἑστιαίαν κτίσαντες κατῴκησαν;* talia autem ideo adferre nolo, quia num prius genus Photius

[3]) Paginas et versus appinxi editionis Bekkerianae.

et ipsum significare voluerit, pro dubio, posterius eum significare noluisse pro certo habeo. Sed ea, quae attuli, sufficere puto ad perspiciendum minime necesse esse aut cum Heynio (comm. p. XLIII) ad deperditas libri partes decurrere aut C. Müllero verba omnino non ad hanc priorem, ut putat, bibliothecae partem, sed ad posteriorem sc. ad *χρονικά* quae huic libello adnexa fuisse fingit referenti adsentiri. Talia vero, quae in ipsa bibliotheca nusquam nisi occasione data obiter narrantur, a Photio diserte laudari minime mireris, si quantum tales fabulatorum narratiunculae ad regionum urbiumque nomina explicanda compositae hominibus semper imposuerint hodieque imponant, memineris. Omnino autem falluntur, qui Photium bibliothecae consilium et compositionem accurate indicare voluisse opinantur, immo nihil aliud, quam ea, quibus in perlegendo libello maxume delectatus est, breviter adumbrat. Cetera autem Photii verba ad hanc, quam hodie tenemus, bibliothecam referri posse nemo unquam negavit. Ariolantur igitur, qui Photium sua aut ex epigrammate illo elicuisse aut periochae nescio cui debere putant. Neque enim ad uberius, sed ad integrum tantum opus verba illa spectare elucet.

Neque profecto aliter de epigrammate sentio, quamquam me difficultates, quibus primum eius distichon implicatum est, minime dissolvere posse fateor. Duae vulgo explicationes circumferuntur, quarum utraque in Salmasii illo *αἰώνων σπειρήματ'* nititur. Welckerus enim cum *σπειρήματα παιδείης* nihil aliud esse, quam *κύκλον παιδευτικόν* sibi persuadeat, voci *σπείρημα* significationem obtrudit, quam neque exemplis munire

neque ex genuina verbi notione facile elicere possis. Accedit, quod ei *αἰώνων*, quamquam ipse quid eo faciendum sit nusquam exponit, ad *παιδείης* referendum est. At quis unquam ita locutus est? aut quid est, obsecro, *αἰώνων παιδείη*? Neque melius procedit alteri explicationi quam a vetere nescio quo interprete excogitatam nuper C. Müllerus amplexus est; vertunt enim: Saeculorum seriem nostra si legeris arte. Quod ineptum est, si *αἰώνων σπειρήματα* ad fabulare tantum tempus spectat; sin id de toto antiquitatis ambitu dici putes, aperte falsum est, cum epigrammatis scriptor eodem spiritu nihil nisi *μύθους παλαιγενέας* promittat. Ego versum neque interpretari nec probabiliter emendare possum. Hoc tantum patet nullo iure amplioris nescio cuius bibliothecae inventores illos et defensores his versibus ad opinionem suam fulciendam abuti. Immo epigramma, ut paulo gloriosius non iam opus esse poëtarum carminibus praedicat, cum hoc libello fere omnia conti neantur, ita bibliothecae, quae hodie extat, consilium ac naturam satis recte significat. Apparet enim illum, qui bibliothecam composuit, id potissimum spectasse, ut heroës secundum stemmata dispositos enumeraret, occasione data celeberrimas, quae de quoque ferrentur, fabulas, modo hunc modo illum auctorem secutus, enarraret, variorum scriptorum varias narrationes breviter adnotaret, ceteroquin neque hac in re satis accurate diligenterque agens neque num sibi ipse constaret, nimis anxie curans; cum enim aliae narratiunculae ex aliis fontibus haurirentur, saepe accidit, ut quae in prioribus operis partibus narrasset, oblivisceretur postea

aut consulto neglegeret. Ita fit, ut Sirenes 6, 20 Melpomenes, 16, 20 Steropes nominentur filiae aut ut Tithonus Aurorae modo amasius sit 104, 27, modo filius 111, 16 aut ut Proserpina nunc a Styge 5, 32, nunc a Cerere parta sit 9, 2 aut ut Hyacinthus alias Pieri et Clius 6, 15, alias Amyclae et Diomedes 98, 28 sit progenies et alia eiusmodi fere innumerabilia. Talia vero aut excusari possunt aut certe explicari, si scriptorem nihil aliud voluisse teneas, quam fabulas populares, sicut a poëtis et pedestris sermonis scriptoribus ornatae atque amplificatae erant, legentibus proponere; neque excusari possunt neque explicari, si scriptorem id egisse opineris, ut aut quid populi variis opinionibus veri subesset, artificiosa explicatione excuteret, aut vetustas fabulas ut res gestas tractaret; quorum ab utroque bibliothecae auctorem longissime abfuisse, neminem non videre arbitror.

Illum igitur bibliothecae auctorem — tandem enim venio ad propositum — Photius Apollodorum grammaticum fuisse testatur; in ipsis porro bibliothecae codicibus legitur Ἀπολλοδώρου Ἀθηναίου γραμματικοῦ. Hunc autem Apollodorum eundem fuisse ac librorum περὶ θεῶν clarissimum auctorem, si unum Is. Vossium excipias, viri docti statuerunt omnes. Ipsum Photium idem sensisse veri simile est, quamquam minime exploratum. Quare quid de celeberrimi illius grammatici vita, studiis, ingenio acceperimus, primum brevi monebo.

Apollodorum, Asclepiadis filium, Atheniensem in philosophia Panaetium Rhodium et Diogenem Babylonium, Stoicae disciplinae id temporis principes, in

arte grammatica Aristarchum habuisse duces constat[4]). Floruit Attali II Philadelphi, cui etiam χρονικά sua sacra esse voluit, et Ptolemaei VII Euergetae temporibus i. e. fere inter Ol. 150 et Ol. 160. Certe temporum descriptionem usque ad Ol. 159, 1 deduxit. Scripsit autem περὶ θεῶν, περὶ νεῶν, χρονικά, περὶ γῆς ἢ περιήγησις, περὶ ἐτυμολογιῶν, περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων, περὶ Σώφρονος, περὶ Ἐπιχάρμου. Nobis primum cum libris περὶ θεῶν res erit, quibus Stoicorum in hac quaestione sententias eum exposuisse et per se veri simile est et ex fragmentis elucet. Stoici quomodo res fabulosas tractaverint nemo est qui nesciat; tantum enim aberant ut vulgares de diis opiniones omnino reicerent, ut vera, quae sub falsis et superstitiosis latere putabant, summo ardore eruere studerent; qua in re ita progressi sunt, ut aut deorum notionem ad rationem physicam aut ad res vitae humanae utiles ac necessarias revocarent[5]), (cui rei ipsum Apollodori praeceptorem Diogenem operam navasse inde cognos-

---

[4]) Suidas s. v. Ἀπολλόδωρος. (Scymnus) Περιήγησις 16 s. Ceterum non sum ignarus, fuisse qui Asclepiadem pro praeceptore Apollodori haberent. Sed Suidam ipsum de patre loqui apparet, cum ille praeceptores statim diserte enumeret. Porro num Asclepiades ille idem sit ac Myrleanus, disceptari nullo modo potest. Equidem fieri posse, ut Myrleanus sit, non negaverim; sed res neque ullo testimonio confirmata neque per se satis probabilis est. Sed tota quaestio aliena est ab illo, quod nos enodare studemus.

[5]) Cicero de n. d. II 23, 60. 26, 66. in universum conferendus est Zeller. d. philosophie d. griechen III p. 111 s.

cas, quod eum Cicero[6]) librum de Minerva condidisse tradit, in quo partum Jovis ortumque virginis ad physiologiam traduceret) aut denique antiquissimi temporis viros pro illustribus meritis ab hominibus pro diis habitos esse docerent; cuius rei exempla fere solemnia sunt Hercules, Jovis pueri, Aesculapius, Liber; additus est postea a Romanis hominibus Quirinus; plurimum autem in omnibus his quaestionibus tribuebant veriloquio. Hanc igitur Stoicorum doctrinam ac rationem Apollodorum amplexum fuisse, ex fragmentis cognoscitur. Vide imprimis fr. 13a (Müller F. H. G. IV p. 649) de Marte, fr. 44b de Pane[7]), fr. 41 (Müller l. l. I p. 435 de Saturno; veriloquii exempla habes fr. 1. 3. 7. 10. 11. 26. 29. 40. Praeterea per hos libros multus fuit Apollodorus in singularum gentium ritibus sacris exponendis (vide fr. 13. 14. 16. 20. 21 et passim) eorumque caussis partim ex physica ratione (fr. 41) partim ex veriloquio (fr. 16) repetendis; multa denique, ut occasio ferebat, admiscuisse videtur, quae ad antiquitates Atticas spectabant.

Ex his, quae de librorum *περὶ θεῶν* consilio atque indole satis certa ratione cognovimus, patet fuisse eos a bibliotheca diversissimos. Nihil in bibliotheca physicae interpretationis, nihil veriloquii; atque ubi ritus sacri origo exponenda est (33, 16. 61, 23) neque ad physiologiam confugitur neque ad etymologiam, quam

---

[6]) de n. d. I 15, 41, conferendus est Philodemus 15 p. 82, 14 Gomperz.

[7]) cf. Cornutum XXVII; idem *Χάριτες* XV et *Ἀχέρων* XXXV eodem modo derivat atque Apollodorus.

dicunt, sed historiola narratur; quid dico? immo ipsa historiola caussa est, cur omnino ritus illius mentio fiat. Quare tantum abest, ut bibliotheca librorum *περὶ θεῶν* epitome esse possit, ut iam dubitatio oriatur, num omnino eiusdem hominis sit, tam diversos ac paene contrarios libros componere.

Sed etiam in singulis bibliotheca a libris *περὶ θεῶν* dissentit. Extat enim fragmentum Apollodori, quod certis argumentis ad libros illos referendum est, in scholiis ad (Eur.) Rhes. 347.

Οἷς (τοῖς τὸν Ῥῆσον Εὐτέρπης γενεαλογοῦσι) καὶ Ἀπολλόδωρος ἐπηκολούθησε γράφων οὕτως· τὰς μὲν Μούσας οἱ μὲν πλεῖστοι παρθένους παραδεδώκασι. γράφεται δὲ εἶναι Οὐρανίας μὲν Λίνον, Καλλιόπης δὲ Ὀρφέα, Μελπομένης δὲ Θάμυριν, Εὐτέρπης δὲ Ῥῆσον, Τερψιχόρης δὲ Σειρῆνας, Κλειοῦς δὲ Ὑμέναιον, τῶν δὲ λοιπῶν Θαλείας Παλαίφατον, ἐκ δὲ Πολυμνίας Τριπτόλεμον, Ἐρατὼ δὲ ἐρασθῆναι μὲν Ὑακίνθου, τελευτήσαντος δὲ αὐτοῦ μηδένα μηδ' υἱὸν γενέσθαι αὐτῶν.

Summam huius fragmenti in eo versari vides, utrum virgines sint Musae necne; neque solum de Musis agi, sed scriptorem mox alias quoque deas subiuncturum fuisse, cum orationem incipiat *τὰς μὲν Μούσας*, facile intellegitur; populares igitur de dearum amoribus et partubus enarrat opiniones; spectant vero haec omnia ad Stoicorum doctrinam, quippe qui deos aut sexu distingui aut partubus genus propagare negaverint[8]).

[8]) Philodem. 12 p. 79, 8. 43 p. 15, 15; eodem ni fallor spectabat 32[e] p. 1. Apollodorum ante oculos habuisse videtur Diodorus IV, 7, 3. ubi notationes Stoicam redolent disoiplinam.

Huic autem quaestioni certum ac debitum locnm fuisse in libris de deorum natura conscriptis nemo negabit. At de Musis plane diversa extant in bibliotheca 6, 4—31. Vulgaris enim ac plerisque probata de Musarum virginitate opinio ne commemoratur quidem; deinde Linus non Uraniae, sed Calliopes, Thamyris non Melpomenes, sed Philammonis et Argiopes filius fuisse dicitur; de Polyhymnia et Erato omnino nihil additur; in eo tantum bibliothecae narratio cum fragmento conspirat, quod Orpheus Calliopes, Rhesus Euterpes filius vocatur. Tum Rhesum secundum alios e Calliope natum esse additur; quo magis expectes etiam ea, quae in libris *περὶ θεῶν* narrata fuerint, brevi commemorari, sed altum silentium. Idem fit, ubi de Triptolemi parentibus agitur; qui postquam a bibliothecae auctore Celeus et Metanira vocati sunt, adnotatur apud Panyasin Triptolemum Eleusinis, apud Pherecydem Caeli et Telluris esse filium. 9, 26 s. Sed quae de eodem in libris *περὶ θεῶν* exposita erant, ea ne verbo quidem indicantur[9]).

[9]) Funkius l. l. p. 49 s. eo temeritatis procedit, ut hoc fragmentum et ipsum ex uberiore illo opere, cuius epitomen bibliothecam esse putat, fluxisse statuat. Id enim in libro illo egisse Apollodorum, ut varias, quae apud varios scriptores extarent, eiusdem fabulae formas iuxta poneret; epitomatorem autem modo hanc modo illam narratiunculam, prout quaeque magis adrideret, sibi elegisse; ita factum esse, ut altera fabulae forma in bibliotheca, altera in scholiis ad Rhesum extaret, cum olim ambae simul in maiore illo opere legerentur. Quae ut omni probabilitatis specie carent, ita facillime redargui possunt. Scholiasta enim se ipsa Apollodori verba exhibere diserte indicat. Cum autem in illis verbis sibi respondeant *οἱ μὲν*

Mire facit Vaterus, qui nos in adnotationibus ad schol. Rhes. mirari vetat, quod Apollodorus in aliis libris alia tradiderit, cum praesertim etiam in ipsa bibliotheca multa insint pugnantia. At minus in ipsis discrepantiis quam in eo haereo, quod Apollodorus aliorum dissentientes narrationes adnotat, suas praetermittit. Quae aegre ita explicari possunt, ut bibliothecam ante libros *περὶ θεῶν* scriptam esse tibi fingas. Sed vereor, ut hoc effugium diu pateat.

Alterum quoque eiusdem operis fragmentum cum bibliothecae narratione conciliari nequit. Servius (ad Verg. Georg. I 16, p. 174 ed. Lion. Apollod. fr. 44b) enim testis est, Apollodorum Pani, quippe cui *τὸ πᾶν* adtributum esset, patrem non praebuisse. At in bibliotheca 7, 25 Pan est Jovis et nymphae Thymbridis filius.

Sed haec fortasse non nimis premenda. Transeamus igitur ad chronicum Apollodori opus, ut videamus, num quae illi fuerit cum bibliotheca necessitudo aut quo iure vulgo ea, quae in hoc libello extant, ad restituen-

---

πλεῖστοι et *γράφεται δέ*, apparet tertiam fabulae formam non esse secutam; quae si secutura fuisset, oratio inde a *γράφεται δὲ* denuo fuisset partienda. Tum si scholiasta duas de Rhesi matre narrationes apud Apollodorum invenisset, hoc ipsum, opinor, cum de ea potissimum per totum scholium agatur quaestione, indicasset. Deinde ea, quae in bibliotheca leguntur, ideo quoque a fragmento aliena sunt, quod illic quinque tantum Musarum amores et partus enumerantur, cum ad illam, quae fragmento agitur, quaestionem solvendam omnes Musas peperisse aut saltem amori indulsisse necesse sit; contra multa in bibliotheca de Musarum filiorum fatis narrantur, quae ad propositum illud nullo modo spectant.

dos Apollodori calculos, qui quidem ad fabularem aetatem spectant, adhibeantur aut denique num re vera scriptor bibliothecae tantam temporum ordinis rationem habuerit, quantam eum habuisse Scaligerus audacius, cautius C. Müllerus praedicat.

Atque ut postremum illud primum absolvam, hoc tibi confidenter adfirmare ausim, in bibliotheca temporum rationem non magis respici, quam quatenus dispositio illa *κατὰ γενεάς* facta ultro secum ferat; illos vero egregie falli, qui ex hoc libello fastos quosdam fabularis temporis erui posse putent. Quae statim intelleges, dummodo duarum gentium fata inter se contuleris; v. c. 95, 32 Aleas Sthenebocae frater, pater Auges fuisse traditur; Stheneboeam a Proeto in matrimonium ductam, compressam esse Augen ab Hercule. At ex Argivae gentis descriptione didicimus inter Proeti et Herculis tempora quinque interesse saecula, si quidem Herculis proavus, Perseus, nepos est Acrisii, Proeti fratris. Deinde eum certe narrationem suam chronologicis cancellis circumscripsisse negabimus, immo licentia illa fabulatoribus semper concessa temporum rationis neglegendae luxuriari fere putabimus, qui cum Herculem apud inferos Meleagro occurrentem fecerit 62, 25, paulo post 64, 32 venationem Calydoniam in id temporis incidere adseveret, quo Hercules Omphalae in servitute sit, id quod non exiguo post XII labores exanclatos spatio intermisso acciderit, aut qui Oeneum modo ante Epigonorum expeditionem in Pelopis insula interfectum esse 19, 32, modo eundem expeditione illa finita Alcmaeonem Calydone hospitio excepisse tradat

92, 39. Contra haec profecto nihil valent minutiae illae, quas C. Müllerus adnot 5. tamquam chronologicae diligentiae exempla attulit. Sed ut singulae bibliothecae partes ad certam temporum veterrimorum rationem dispositae sint, cum Apollodori chronicorum calculis certe non conspirant; qua enim ratione in illo opere res fabulares ad certum annorum ordinem revocatae fuerint, ex fr. 72, quod Clementi Alexandrino debemus, satis perspicuum est. *Προτερεῖν ἄρα* inquit ille stromat. I 21, p. 381. Pott. *Μωϋσῆς ἀποδείκνυται τῆς μὲν Διονύσου ἀποθεώσεως ἔτη ἑξακόσια τέσσαρα, εἴγε τῆς Περσέως βασιλείας τῷ τριακοστῷ δευτέρῳ ἔτει ἐκθεοῦται, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς χρονικοῖς. ἀπὸ δὲ Διονύσου ἐπὶ Ἡρακλέα καὶ τοὺς περὶ Ἰάσονα ἀριστεῖς τοὺς ἐν τῇ Ἀργοῖ πλεύσαντας συνάγεται ἔτη ἑξήκοντα τρία … ἀπὸ δὲ τῆς Ἡρακλέους ἐν Ἄργει βασιλείας ἐπὶ τὴν Ἡρακλέους αὐτοῦ καὶ Ἀσκληπιοῦ ἀποθέωσιν ἔτη συνάγεται τριάκοντα ὀκτὼ κατὰ τὸν χρονογράφον Ἀπολλόδωρον. ἐντεῦθεν δὲ ἐπὶ τὴν Κάστορος καὶ Πολυδεύκους ἀποθέωσιν ἔτη πεντήκοντα τρία.*

Ex his terminis talis fere efficitur tabula.

Anno postquam Perseus regno potitus est	
32.	Bacchus in deorum numerum adsciscitur.
95.	Hercules Argis regnat; Argonantae Colchida petunt.
133.	Hercules et Aesculapius inter deos recipiuntur.
186.	Castores inter deos recipiuntur.

Animadvertisne Stoicum eorum virorum, quos beneficiis excellentes fama ac voluntas hominum (verba sunt Ciceronis) in caelum sustulerat, exitus ut primos praecipuosque antiquissimorum temporum terminos constituere? Illos enim re vera olim inter mortales degisse pro explorato habere debebat. Jam consideremus bibliothecam. Mitto illud, eum, qui in chronicis tricesimo altero Persei regnantis anno obiisse traditur, Bacchum dico, secundum bibliothecam Abantis, Persei proavi esse aequalem; id quod ex hoc stemmate cognoscitur.

Neptunus - Libya

Agenor	Belus
Cadmus	Aegyptus
Semele	Lynceus
Bacchus	Abas
	Acrisius
	Danae
	Perseus.

Sed in chronicis apparet Apollodorum, cum res Herculis ei enarrandae essent, longissime a vetustiorum poetarum fabulis recessisse iisque potius adstipulatum esse, qui illum tamquam potentissimum sapientissimumque regem sibi fingerent[10]); hoc enim sibi vult illa ἐν

[10]) Hanc opinionem posterioris aetatis hominibus, iis praecipue, qui virtutis praecepta proponerent, maxime in deliciis fuisse ex Dion. Chrysostom. I 63 E discas.

"Ἄργει βασιλεία; cuius rei in bibliotheca ne vestigium quidem deprehenditur. Illic enim per totam Herculis vitam Eurystheus Argorum principatum tenet[11]). Denique duas de Aesculapii stripe narrationes cum bibliothecae auctor adferat, alios eum ex Arsinoe, Leucippi filia, alios e Coronide nasci facere testans 99, 7 s., harum posterior per chronicorum calculos stare potest, prior nequit, cum Arsinoes sorores a Castoribus rapi-

[11]) Miror eum, qui insigne illud fragmentum cum bibliothecae narratiunculis coniungere studuit, non statim intellexisse in quantas se implicaret difficultates. Haec enim a C. Müllere proponitur tabula.

Anno ante Troiam captam	
178.	Perseus regnum adipiscitur.
146.	Bacchi apotheosis.
101.	Hercules nascitur,
84.	duodeviginti annos natus leonem occidit,
83.	Argis regno potitur. Argonautarum expeditio.
78.	Initium laborum.
68.	Iphitum occidit; Omphalae tres annos servit,
62.	ludos Olympicos instituit.
53.	Herculis et Aesculapii apotheosis.

Fugit autem eum haec diserte bibliothecae repugnare. Quo enim tempore Hercules secundum hanc tabulam regno potitur, eo bibliothecae auctor narrat eum cum Minyis bellum gessisse, eius belli praemium Megaram in matrimonium accepisse, tres ex ea filios procreasse, eosdem vesania captum interfecisse, tum demum a Pythia iussum Tiryntha se contulisse regnaturum? immo per decem annos Eurystheo serviturum. Quo autem tempore in Colchida navigabant Argonautae, Hercules apud Omphalen servitium pertulisse dicitur 64, 31.

antur, Castores autem quinquaginta demum tribus annis postquam Aesculapius, Arsinoes filius, in caelum sublatus est, in deorum numerum recipiantur. Illam igitur Apollodorus probare, hanc respuere debuit. At in bibliotheca ambae, tamquam neutra alteram probabilitate antecedat, iuxta ponuntur, nullo omnino auctoris proprio iudicio addito.

Neque magis bibliotheca cum fr. 71 conspirat; illic enim Apollodorus Sicyoniorum regum stirpem ab Aegialeo deducit. Aegialeus, de quo terra Sicyonia antiquitus Aegialea vocata esse dicitur Pausan. II 5, 6. secundum vulgarem chronographorum opinionem vel Phoroneum antiquitate superasse credebatur. C. Müller Ctesiae ect. frgm. p. 131. At in bibliotheca idem, (nam illic quoque suum nomen terrae imponit), Inachi filius, Phoronei frater fuisse narratur; qui cum nulla virili stirpe relicta obiisset, Phoroneum fratrem totius Pelopis insulae, ergo Sicyonis quoque, regno potitum esse 35, 20 s. Quodsi re vera, id quod C. Müllero placere videtur, Apollodoreorum chronicorum computatio a Castore fr. 8 servata est, tum vero rerum inter se pugnantium oritur turba cum secundum Castorem Inachus Thurimachi demum, septimi ab Aegialio Sicyonis regis, fuerit aequalis. Sed ut in chronicis simili modo, atque apud Clementem Alexandrinum strom. p. 379 Pott. narratum esse invenio, Phoroneus et Aegialeus fuerint aequales, illud nihilominus relinquitur, quod in chronicis Aegialeus longae perpetuaeque regum seriei est auctor, in bibliotheca omnino nullam prolem gignit, sed post eius mortem

Sicyon per aliquod certe tempus Argivorum ditioni subiecta est, ita ut domestici illius regni continuatio interrumpatur.

Hoc igitur certe evicimus inter Apollodori chronica et bibliothecam necessitudinem esse nullam. Sed num in eo acquiescemus? An iure nostro mirabimur, scriptorem eas res, quarum fidem ac veritatem ita probabat, ut eas veterrimorum temporum descriptionis quasi fundamenta iaceret, in hoc libello prorsus neglegere, falsa ac ficta, quae ipse reicere debebat, proferre, ne monito quidem de falsitate lectore? 'Immo si variarum fabularum colligendarum consilium in animum induxisset Apollodorus (quamquam vix eiusdem hominis esse existumo vulgi opiniones physica ratione interpretari aut vetustissimam antiquitatis memoriam ad singulos annos disponere et vulgarissimas fabulas compendio includere) sed ut tale consilium induxisset, multus fuisset, opinor, in poëtarum scriptorumque commentis refellendis, fabulis Stoicorum more explicandis, suis opinionibus, quas in aliis operibus proposuerat, tuendis ac defendendis; sed plane contrarium factum esse videmus.

Cum igitur adhuc multa invenerimus, quae Apollodori sententiis repugnent, nihil, quod cum iis consentiat, scrutemur, num etiam in ceteris insint, quae cum Apollodori doctrina ingenioque conciliari nequeant. Atque profecto multa passim occurrunt, quae Apollodorus *ὁ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν δεινός* nullo modo scribere potuerit. Initium faciam a rebus geographicis, qua in disciplina Apollodorum cum Eratosthenis imitatorem tum et ipsum summum fuisse auctorem Strabo testis

est p. 299. Vide modo, quam vehementer apud eundem Apollodorus in eos rerum scriptores invehatur, qui fabulosas regiones libris suis inseruerunt fr. 129. *Ἀπό δέ τούτων* (poetarum enim primum perstrinxerat peccata) *ἐπὶ τοὺς συγγραφέας βαδίζει Ῥιπαῖα ὄρη λέγοντας καὶ τὸ Ὠγύγιον ὄρος καὶ τὴν τῶν Γοργόνων καὶ Ἑσπερίδων κατοικίαν καὶ τὴν παρὰ Θεοπόμπῳ Μεροπίδα γῆν, παρ' Ἑκαταίῳ δέ Κιμμερίδα πόλιν. κτλ.*

Jam evolvas bibliothecam. Gorgonum sedes prope Oceanum sitas habes 44, 3; Hesperidum hortos 60, 18 [12]). Quid, quod scriptor proprii iudicii ceteroquin parcissimum hic serio ore adseverat, falli eos, qui hortos illos in Libya ponant, cum sint prope Atlantem siti?

Transgreditur Apollodorus ad cavillandum Callimachum, illi cum artem grammaticam adfectaverit non condonandum esse ratus, quod neque Calypsus insulam a Gaudo neque Phaeacum terram a Corcyra diversam habuerit. Sed paulo incautius egisse videtur Apollodorus, si quidem ipse in bibliotheca 32, 28 scripsit *εἰς τὴν Φαιάκων νῆσον Κερκύραν ἧκον*; hoc autem eo maioris momenti est, quod Apollonius Rhodius, quem in illa opusculi parte tamquam praecipuum ducem sequitur [13]), Phaeacum insulam, quamquam eum Corcyram ante oculos habere ex Δ 982 s. perspicitur, tamen nusquam hoc nomine, sed aut Macrida Δ 540. 990. 1175. aut Drepanen Δ 990. 1223. vocat. Itaque dubitare non

---

[12]) Hic sua laus tribuenda Is. Vossio, quod hoc primus observavit ad Pomp. Mel. l. l.

[13]) v. infra cap. II.

licet, quin Corcyrae nomen ab ipso bibliothecae auctore additum sit.

Omnino autem idem bibliothecae auctor, ubicunque de terrarum situ agitur, in tantas se implicat turbas, ut eum regionum locorumque imperitissimum fuisse eluceat. Fac maiorem horum errorum partem iam in fontibus extitisse, tum hoc ipsum certe maxime mirandum est Apollodorum in talibus erroribus non offendisse, sed tacite ea transtulisse atque eum, quem hac in quaestione vehementissimum fuisse castigatorem paulo antea vidimus, quam licentiam vel poëtis aegre concesserat, eam sibi ipsum sumpsisse.

Minoris fortasse momenti est, quod Apollodorus fr. 149 Deucalionem non Opunte, sed Cyni habitasse contendit, cum in bibliotheca idem post diluvium ad Parnassum, prope quem Opuntem sitam esse constat, appulisse narretur 13, 25, postea autem eum sedes mutasse, id quod fortasse quispiam ad utramque narrationem conciliandam sibi finxerit, non tradatur, aut quod Pheres, Medeae filius, Ephyrae in urbe Thesprotiae habitasse filiumque procreasse dicitur fr. 170, cum idem in bibliotheca 35, 2 puer a matre occidatur.

Sed Apollodorum Aristarchi fuisse discipulum accepimus. Attamen omnia ea, quae Aristarchus ad carmina Homerica explicanda attulerat, in hoc libello ita negleguntur, ut saepe plane contraria adferantur.

In conclamata illa quaestione, quid *σήματα λυγρά* essent, constat Aristarchum de literis cogitari vetuisse schol. *Z* 169. 176. Lehrs Aristarch. p. 104. At bibliothecae auctor fabulam ita enarrat, ut eum de literis

loqui quisque videat. 42, 2. *Προῖτος δὲ πιστεύσας ἔδωκεν ἐπιστολὰς αὐτῷ πρὸς Ἰοβάτην κομίζειν, ἐν αἷς ἐνεγέγραπτο Βελλεροφόντην ἀποκτεῖναι. Ἰοβάτης δὲ ἐπιγνοὺς κτλ.* 42, 22. *τά τε γράμματα ἔδειξε.*

Deinde in explicandis versibus *E* 395—7.

τλῆ δ' Ἀΐδης ἐν τοῖσι πελώριος ὠκὺν ὀϊστόν,
εὖτέ μιν ωὐτὸς ἀνήρ, υἱὸς Διὸς αἰγιόχοιο,
ἐν πύλῳ ἐν νεκύεσσι βαλὼν ὀδύνῃσιν ἔδωκεν.

Aristarchus *πύλῳ* a voce, quae est *πύλος*, derivavit et de infernorum portis interpretatus est. schol. *E* 397. *Ἀρίσταρχος πύλῳ ὡς χόλῳ καὶ ἑσπέρῳ* .... L. V. *ὁ μὲν Ἀρίσταρχος τὸν πύλον ἀκούει κατὰ μεταπλασμὸν ἀντὶ τοῦ πύλην, ὡς ἀπὸ τοῦ πολύαρνι πολυάρνῳ καὶ τὸ ἐν νεκύεσσι κυρίως ἀκούει, ἔνθα αἱ τῶν τελευτώντων ἀναχωροῦσι ψυχαί* D. Quid egregius ille bibliothecae auctor? Plutonem Pyliis auxiliantem ab Hercule vulnerari facit 66, 30 *κατὰ δὲ τὴν μάχην καὶ Ἅιδην ἔτρωσε Πυλίοις βοηθοῦντα.* Quae fabula aperte ex versuum illorum prava interpretatione nata est.

Mercurii cognomen *Ἀργεϊφόντης* qua ratione Aristarchus explicuerit, nusquam diserte traditur. Duos vocis explicandae conatus habes in scholiis codicum B. L. ad *B* 103; quorum si unum spectas, *ἀργεϊφόντης* significat *ἀργὸς φόνου* coll. *Ω* 152, si alterum, idem est atque *ἀεργοφόντης*. Duae aliae explicationes in uno cod. L. ad v. 104 extant. *Ἀργεϊφόντης δὲ λέγεται οἱονεὶ ἀργεφάντης ἀπὸ τοῦ λευκῶς πάντα φαίνειν καὶ σαφηνίζειν· τὸ γὰρ λευκὸν ἄργυφον ἐκάλουν οἱ παλαιοί. ἢ ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν φωνὴν ταχυτῆτος. καὶ γὰρ τὸ ταχὺ ἀργὸν λέγεται.* Quarum priorem Aristarcho non sine aliqua

probabilitatis specie tribuit Sengebuschius in Aristoniceis p. 26[14]. Sed haec utut sese habent, hoc certe exploratum esse duco reiecisse Aristarchum interpretationem eorum, qui de Argi nece Mercurium hoc cognomen accepisse statuerent, neque dubito, id quod etiam Sengebuschio placuisse gaudeo, quin scholiastae verba *τὸν γὰρ Ἰοῦς ἔρωτα οὐκ οἶδεν ὁ ποιητής· πέπλασται δὲ τοῖς νεωτέροις τὰ περὶ Ἄργον* doctrinam redoleant Aristarcheam. cf. schol. *Α* 5. *τὰ παρὰ τοῖς νεωτέροις πλάσματα.* praeterea schol. *Β* 599. *Ζ* 199. 457. *Λ* 683. *Ρ* 719. *Ω* 604 alia. At in bibliotheca usitatam illam vocis derivationem invenis 37, 3. (*Ἑρμῆς*) *λίθῳ βαλὼν ἀπέκτεινε τὸν Ἄργον, ὅθεν Ἀργεϊφόντης ἐκλήθη.*

Π 175 Polydora quaedam, Pelei filia commemoratur. Ambiguum erat, utrum de Achillis sorore cogitandum, id quod Hesiodo fr. 35 Markscheffel et Pherecydi fr. 17 placuit, an ad *ὁμωνυμίαν* confugiendum esset. Hoc praetulit Aristarchus schol. *Π* 175, cf. Lehrs Aristarch. p. 178: *πιθανώτερον οὖν ὁμωνυμίαν εἶναι ὥσπερ καὶ ἐπ' ἄλλων.* At bibliothecae auctor Polydoram a Peleo, Achillis patre, procreatam esse voluit 108, 4.

Α 590 Vulcanus se cum matri auxilium laturus esset a Iove in terram deiectum esse, Lemni autem in insula a Sintibus benevole exceptum esse narrat. Hac cum narratione Aristarchus sagacissime coniunxit *Ο* 21. v. schol. *Α* 590. *Ο* 21. ex coniunctis tandem his duabus narrationibus integram effici fabulam statuens,

---

[14]) Index scholarum gymnasii monasterii Berol. 1855.

cum hic poena sola Vulcani, illic et causa poenae et tempus explicarentur. Sed in bibliotheca ex diversissima fabula Σ 398 Thetis adiungitur. 7, 4 *Πεσόντα δὲ Ἥφαιστον ἐν Λήμνῳ καὶ πηρωθέντα τὰς βάσεις διέσωσε Θέτις*. Quo nihil cogitari potest ineptius. Quid enim Thetidi cum Lemno?

Haec igitur omnia ita ab Aristarchi discipulo scripta esse, vix quisquam sibi persuadeat. Quid quod duo certe exempla adferre posse mihi videor, quae Apollodori scribendi consuetudini aperte repugnent.

Apud Harpocrationem s. v. *αὐτόχθονες* haec legis. *Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς περὶ θεῶν κληθῆναί φησιν αὐτοὺς* (sc. *τοὺς Ἀθηναίους*) *αὐτόχθονας, ἐπεὶ τὴν χθόνα, τουτέστι τὴν γῆν, ἀργὴν οὖσαν πρῶτοι εἰργάσαντο. οἱ δὲ διὰ τὸ μὴ εἶναι ἐπήλυδας. ὁ δὲ Πίνδαρος καὶ ὁ τὴν Δαναΐδα πεποιηκὼς φασιν Ἐριχθόνιον καὶ Ἥφαιστον ἐκ γῆς φανῆναι. κτλ.* Vides Apollodorum non solum iis, qui homines e terra editos esse putabant, ut par erat, non esse adstipulatum, sed etiam vocem *αὐτόχθων* hoc significare negasse; id quod ex veriloquio ab eo proposito perspicuum fit. At qui cui voci quandam notionem abiudicat, num idem hanc vocem commenticia illa notione adhibebit? Apollodorum certe hoc fecisse volunt, cum in bibliotheca *αὐτόχθων* fere semper ita usurpetur, ut prorsus idem sit atque *γηγενής*. v. c. 94, 17 *Πελασγόν, ὃν Ἀκουσίλαος μὲν Διὸς λέγει καὶ Νιόβης, — Ἡσίοδος δὲ αὐτόχθονα*. 112, 23 *τοῦτον* (*τὸν Ἀμφικτύονα*) *ἔνιοι μὲν Δευκαλίωνος, ἔνιοι δὲ αὐτόχθονα λέγουσιν*. Prorsus enim eodem modo *γηγενής* 8, 16 ponitur; accedit, quod vis vocis ex opposito elucet.

Deinde accepimus Apollodorum Oleni, fabulosi illius oppidi, quod modo in Aetolia modo in Arcadia collocatur, nomen genere adhibuisse masculino. v. fr. 166. Steph. Byz. *Ὤλενος — Ἀπολλόδωρος δὲ ἀρσενικῶς αὐτήν φησιν ἐν ὀγδόῳ τοῦ νεῶν καταλόγου· Τὸν Ὤλενον κτλ.* In bibliotheca contra legimus 18, 30 *Ὠλένου πολεμηθείσης.* Atqui talibus in rebus constare sibi solebant veteres grammatici.

Omnino autem in bibliotheca dictio inest prorsus puerilis neque solum magno grammatico, sed etiam gravi viro indigna, diversissima autem ab Apollodori stilo, quem satis exercitatum fuisse ex uberiore illo fragmento 10 intellegitur.

Denique in bibliotheca Castoris Rhodii laudantur chronica 36, 19. Hunc autem Castorem, quod Pompeium in bello Mithridatico summo opere adiuvisset, amicum populi Romani declaratum esse Deiotarique regis filiam in matrimonium accepisse, cum vero socero suo insidias strueret, ab illo interfectum esse traditur[15]). Opus eius chronologicum, apud posterioris aetatis homines celeberrimum, usque ad Ol. 179, 4 deductum fuisse testis est Eusebius. Castor fr. 19. Hoc igitur opus

---

15) Cicero de rege Deiotaro 1. Strabo p. 568. Suidas s. v. Κάστωρ. Vides me Clintonis l. l. et Vossii d. hist. gr. p. 204 rationibus manus dedisse, chronographum a Deiotari genero non esse diversum statuentium. Aliter sensit Drumannus Gesch. Roms VI p. 300 anm. 29 cui adstipulatur Halmius in ed. Cic. d. r. D. p. 22. Haec utut se habent, chronographi aetas ex Eusebio certa ratione cognoscitur.

— nam de chronicis Apollodorum loqui per se patet, cum illud *ἀγνοήματα,* quod in nonnullis editionibus extat, ab Aegio temere additum sit, in codicibus autem non inveniatur, — sed opus illud ne artificiosissimis quidem commentis, qualia apud Clinton. fast. hell. III, p. 546 invenies, efficias, ut Apollodorus cognoscere potuerit. Expungere vero Castoris commemorationem qui student, iis, si quidem via ac ratione procedere volunt, una totum enuntiatum evellendum est. Atqui *οἱ τραγικοί,* quorum mentio tum extinguitur, in hac ipsa libelli particula etiam bis 40, 12. 25., alibi per totam bibliothecam nusquam occurrunt, id quod vix casui tribui potest. Immo apparet tres illos locos ita inter se coniunctos esse, ut et stare simul et cadere debeant. Omnes autem tres si expunxeris, non solum 40, 14 Cecropis et *τῶν νόστων* poëtae mentio tibi tollenda erit, quae a poëtis tragicis seiungi non potest, sed etiam narratio abrupta fiet. Omnino autem vereor, ut talis conatus summae temeritatis crimine absolvi possit neve interpolatorem ipso scriptore multo doctiorem habituri simus.

Praeterea non minus in eo offendendum est, quod Apollonius Rhodius non laudatur solum 29, 26, sed per aliquam libelli partem satis accurate exscribitur, cum eum poëtam apud Alexandrinos grammaticos auctoritate minimum valuisse, immo consulto neglectum esse constet[16]); quam sententiam minime infregit Merkelius prol. in Apoll. p. VIII. Charetem certe et Asclepiadem

---

[16]) v. Bernhardy. Griech. Lit. II 3. Aufl. p. 363.

Myrleanum opponere noli, quorum unum Apollonii familiarem (schol. Apoll. II 1054), alterum fuisse discipulum (Suidas s. v. Ἀσκληπιάδης) traditur. Mirandum autem est, hac quoque in re Apollodorum iudicium suum a ceteris grammaticis Alexandrinis seiunxisse.

His omnibus perpensis eo adducimur, ut bibliothecam, quae quidem hodie extat, ab Apollodoro scriptam esse non posse statuamus. Quid vero si est epitome? Tum enim ea, in quibus offendimus, fortasse aut epitomatori tribui aut ita excusari poterunt, ut aliorum scriptorum narrationes, quas Apollodorus collegerat, ex eius opere transscriptas, ipsius vero Apollodori iudicium omissum esse statuas. Atque eorum operum, quorum tituli aliunde noti sunt, epitomen esse non posse bibliothecam aut per se patet aut ex iis, quae supra diximus, evincitur. Id cum perspexisset Welckerus, Apollodorum cyclum mythicum composuisse suspicatus est, quem posterioris aetatis homo in huius libelli angustias contraxisset. Quae sententia quamquam primo fortasse obtutu adridet, tamen stare non potest.

Primum enim difficultates ne tum quidem tolluntur; nam quid faciamus iis, quae Apollodori esse non posse supra vidimus? Num additamenta sunt epitomatoris? At qualia et quanta additamenta. Non solum Argonautarum expeditio, sed etiam res Herculis, quibus in partibus gravissima insunt doctrinae documenta v. c. 28, 11—17, si quidem supra recte disputavimus, aliunde sumpta essent; atque tanta arte epitomator sua genuinis Apollodori narrationibus innexuisset, ut nunc non sine

summo totius operis detrimento evelli possent. Omnino non iam epitome vocari posset bibliotheca; sed Apollodori fictum illud opus iis libris adnumerandum esset, quos auctor ad hunc novum integrumque libellum componendum adhibuisset. Illud autem, quod supra posteriore loco posui, bibliothecae auctorem narratiunculas tantum ab Apollodoro constipatas excerpsisse, ea quae ipsius Apollodori essent reliquisse, si dis placet, etiam ineptius est atque vix refutatione indiget. Restat enim Castoris mentio, restant ea, quae Apollodori dicendi usui repugnant. Omnino hoc confidenter adfirmo, in nulla huius libelli particula Apollodorei ingenii aut volam aut vestigium deprehendi, ut si forte auctoris nomen in codicibus omissum esset, nemo unquam bibliothecam aut Stoico aut Aristarchi discipulo nedum Apollodoro adscripturus fuerit.

Sed cum umbris pugnare videor. Quid enim est maius illud Apollodori opus, in quo eum fabulas collegisse volunt? Quis id vidit? Quis de eo unquam audivit? In veterum scriptorum monumentis nullum eius apparet vestigium; nam illud, quod Welckerus l. l. in adnot. 23 quamvis dubitanter adfert, neminem mihi serio ore obiecturum esse spero. In scholiis enim ad Il. *Α* 42 bibliothecae narratio 37, 23—38, 11 totidem verbis exhibetur; sed post verba *τοὺς Αἰγύπτου παῖδας* addita sunt haec *πλὴν ἑνὸς ἢ δυοῖν διὰ τῶν θυγατέρων ἀνεῖλε*, tum sequitur illud *δεδοικώς*, quod etiam in bibliotheca extat, cui in scholiis subicitur *καθότι καὶ ἐκ χρησμοῦ ἠκηκόει, ὅτι φονευθήσεται ὑφ' ἑνὸς αὐτῶν.* Quorum additamentorum prius et per se ineptum est,

cum Aegypti filii in Aegypto uno vel duobus exceptis interfecti esse dicantur, et ceterae bibliothecae narrationi repugnat, ubi in Graecia occiduntur; quare id procul dubio ipsi scholiastae debetur, qui fabulae exitum, quem in bibliotheca satis longo spatio intermisso legis 39, 29, hic praecipere maluit. Sed de altero additamento dubitari potest; adluditur enim his verbis ad satis claram multorumque poëtarum ingenio exornatam fabulam, cuius testes habes apud Welckerum Griech. Tragoed. 1047; tum causa metus illius apte exponitur; quare non refragabor, si quis huic enuntiato quondam in bibliotheca locum fuisse statuet, quamquam tum mirandum erit, quod neque 38, 22, ubi quae causae Danaum ad tantum facinus perpulerint, exponitur, oraculi mentio fit neque postea Danai mors enarratur[17]). Sed hoc concesso, quid aliud efficitur nisi enuntiatum illud in nostris exemplaribus librariorum socordia vel casu intercidisse. Fac plura eiusmodi enuntiata in bibliotheca quondam extitisse, quae nunc desiderentur; nihil profecto aliud inde concludemus nisi archetypi librarium hominem fuisse neglegentissimum, id quod aliunde quoque constat. Denique scholiasta ille librum hac bibliotheca multo uberiorem iam ideo habere non potuit, quod in calce addit ἱστορεῖ Ἀπολλόδωρος ἐν β'.

---

[17]) Maiore fortasse iure ea, quae in calce scholii leguntur, verba αὐτὸς δὲ κρατήσας τῆς χώρας ἀφ' ἑαυτοῦ τοὺς ἐνοικοῦντας Δαναοὺς ὠνόμασεν olim in bibliotheca extitisse, in nostris exemplaribus perperam omitti suspiceris. Nam ad hoc Danaorum nomen explicandum tota narratio adfertur. Ceterum prius illud additamentum ne apud Zenobium quidem II, 6 extat.

Funkius autem quae diligenter sane atque attente collegit Apollodori fragmenta, ea omnia sumpta sunt ex libris περὶ ϑεῶν.

Attamen non is erat Apollodorus, cuius scripta a grammaticis neglegerentur. Qui factum est, ut tam gravis libri tamque ad innumerabiles fere quaestiones solvendas accommodati memoria plane evanuerit? Scholia in Apollonium v. c. cetera Apollodori scripta et saepissime laudare et iudicio eius plurimum tribuere videmus; sed neque cycli illius commenticii neque huius libelli ullum invenies vestigium. At quot se offerebant occasiones eiusmodi operis laudandi! Exempli gratia cum schol. Α 152 tradatur, Neleum tres ex Chloride filios, ceteros ex aliis mulieribus procreasse, id quod etiam Aristarcho placuit v. schol. Α 692, adnotandum erat Apollodorum cunctos filios praetereaque Pero filiam ex Chloride progigni facere 22, 29. Aut cum schol. Α 139 Amphiaraum in Argonautarum numero fuisse teste Deilocho ostendatur, qui omittitur Apollodorum plane idem narrasse? 26, 31.

Ceterum omnino eiusmodi operis componendi consilium non solum, ut supra vidimus, ab Apollodori ingenio, sed etiam ab illius aetatis studiis prorsus abhorrebat. Cave enim ne aut Dionysii Mytilenaei cyclum aut Istri Philostephanique scripta (Polemonis enim, qui dicitur, cyclum ut valde suspectum in medio relinquo) eodem spectasse opineris atque hanc bibliothecam. Quorum ille veterrimas fabulas poëtarum ornatu exutas ut antiquissimorum temporum historiam venditabat, hi, ut Callimachi discipulos decebat, in ur-

bium situ gentiumque victu describendo occasione data, quae quoque loco fabulae circumferebantur, eas ex incolarum, nisi omnia fallunt, ore acceptas enarrare studebant. Quorum neutrum factum est in bibliotheca, ubi notissimae fabulae omnibus luminibus auctae ad celeberrimorum poëtarum scriptorumque exemplum nullo proprio auctoris iudicio addito exponuntur.

Denique epitomen esse hunc libellum cur censeamus prorsus non adsequor. At multa inesse dicunt, quae inter se repugnent; multa ita commemorari, ut ea iam antea copiosius esse illustrata expectes; quod cum hoc in libello factum non sit, eas partes ab epitomatore omissas esse concludunt. Funkius imprimis multus est in Herculis filiorum catalogo excutiendo; cui quamquam ipse paulo post totam argumentationem evertit, catalogum illum insiticium iudicans, tamen pauca respondebo. Nimirum si bibliothecae scriptor aut unum certum secutus esset auctorem aut in conciliandis variorum fontium narratiunculis se diligentem ac sollertem hominem praebuisset, tuo iure expectares, ubi Hercules Coam insulam devastasse narraretur 65, 29 ibi eum cum Chalciope Thessalum genuisse commemorari aut Amyntore occiso 69, 24 filiam eius Astydamiam ab Hercule compressam esse, compressam Ctesippum peperisse referri, quoniam et Thessalus 71, 20 et Ctesippus 71, 24 inter Herculis filios enumerantur. Sed postquam hominis neglegentiam perspeximus, minime mirabimur hanc expectationem falli. Ceterum res facillime explicari potest, cum catalogum aliunde sumptum esse atque ceteras, quae ad Herculem spec-

tant, fabulas iam inde appareat, quod in eo 70, 27 s. quinquaginta unus, antea autem 68, 15 quinquaginta tantum Herculis Thespiadumque filii numerantur. Ceterum plura id genus passim occurrunt; velut 47, 29 Amphitruo sororem suam Perimeden Licymnio in matrimonium dat, quae Perimede inter Alcaei liberos 46, 12 desideratur; simili modo et Benthesicyme 115, 28 Neptuni et Amphitrites vocatur filia, cum 9, 3 Triton et Rhode tantum nominentur, et Aeolia, Amythaonis filia 15, 32, illic, ubi Amythaonis progenies indicatur 23, 17 omissa est; neque vero Pierum, Magnetis filium 6, 15, inter liberos illius commemoratum invenies 21, 31. Horum omnium mentionem casu intercidisse, nemo nisi homo temerarius sibi persuadeat. Immo haec ex fontium diversitate non minus explicantur, quam ea, quae supra p. 9 attuli. Epitomen autem esse bibliothecam hac ratione nullo modo evinci potest. Immo Galeus l. l. p. 38 rectissime animadvertit, monere legentes aut postea aliquid accuratius expositum iri promittere minime esse epitomatoris; cuius tamen rei in bibliotheca passim extant exempla v. c. 5, 15 *περὶ ὧν ἐροῦμεν, ὅταν τὰ κατὰ Περσέα λέξομεν.* 6, 30 *περὶ ὧν ἐν τοῖς περὶ Ὀδυσσέως ἐροῦμεν.* 13, 1 *ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων μέχρι τοῦ δεῦρο ἡμῖν λελέχθω.* 36, 3 *ἀλλὰ περὶ μὲν τούτου πάλιν ἐροῦμεν.* praeterea vide 13, 1. 35, 17. 74, 28. 77, 4. 79, 1. 94, 15. Talia enim ab epitomatore aut addi aut ex maiore opere transferri prorsus est inauditum.

Itaque cum Welckeri quoque opinio corruerit, nihil relinqui video, quam ut ingenue fateamur, nihil omnino

huic libello cum Apollodoro, Aristarchi Panaetiique discipulo, esse commune. Eodem igitur quamvis longiore impeditioreque via pervenimus, quo Is. Vossius unius tantum loci ratione accurate perpensa; quare nobis quoque aut mentiri titulum bibliothecam aut alterius esse Apollodori statuendum est. Atque cum neque clarus ille Apollodorus simile opus composuerit neque profecto bibliothecae auctor aut dictionem eius imitatus sit aut ad placita eius se accommodaverit, non est cur de fraude cogitemus. Nimirum satis vulgatum ac fere commune erat nomen Apollodori. Itaque *ὁμωνυμίαν* statuere satius duco.

Alterum igitur illum Apollodorum, de quo iam solo agimus, Atheniensem fuisse et codices testantur et nonnullis quae in bibliotheca leguntur confirmari videtur[18]); quamquam pro huius opusculi natura difficillimum est diiudicare, quid ipsi auctori quidve fontibus tribuendum sit. Atque primum iam diu observatum est patriae studium in eo prodi, quod Theseus et venationis Calydoniae 17, 19 et expeditionis Argonautarum 26, 30. particeps fuisse dicitur. Deinde Athenarum loca ita commemorantur, ut auctor ea ipse vidisse videatur 110,27 (*Ποσειδῶν*) *ἀνέφηνε θάλασσαν, ἣν νῦν Ἐρεχθηΐδα καλοῦσι*[19]). 30 (*Ἀθηνᾶ*) *ἐφύτευσεν ἐλαίαν, ἣ νῦν ἐν τῷ Πανδροσείῳ δείκνυται.* In raptu Proserpinae enarrando cum scriptorem ipsorum Atheniensium traditiones referre neque tamen Pamphi aut personati Homeri hymnum in

---

[18]) Gale l. l. p. 19. Welcker ep. Cycl. I p. 87 s.

[19]) Praeterea ter tantum indicat scriptor, quo nomine regio fabulis clara suo tempore vocetur 37, 8. 58, 32. 79, 9.

Cererem compositum sequi eluceat, *Καλλίχορον φρέαρ* 9, 12 et *Ἀγέλαστος πέτρα* 9, 11. notanda sunt. Ad Misericordiae aram[20]) et Adrastus cum ceterorum herŏum matribus 91, 12 et Heraclidae 71, 30 confugisse dicuntur, diverse ab Euripide, qui Heraclidarum scenam Marathone ad Iovis forensis aram[21]), supplicum Eleusine[22]) collocat. Proprium iudicium porro praeter id quod supra attuli exemplum p. 21 semel tantum in quaestione ad res Athenienses spectante profert auctor. 110, 31 s. *γενομένης δὲ ἔριδος ἀμφοῖν περὶ τῆς χώρας Ἀθηνᾶν καὶ Ποσειδῶνα διαλύσας Ζεὺς κριτὰς ἔδωκεν, οὐχ ὡς εἶπόν τινες, Κέκροπα καὶ Κραναὸν οὐδὲ Ἐρυσίχθονα, θεοὺς δὲ τοὺς δώδεκα.*

Denique valde veri simile est, hunc libellum ad pueros instruendos destinatum fuisse, id quod imprimis puerili opusculi dictione significatur. Quid, quod scriptorem, ne aures pueriles spurcis rebus offenderentur, fontium narrationem non sane felicissima ratione nonnunquam mutasse, uno certe exemplo ostendere posse mihi videor. In Melampodis fabula enarranda Apollodorum Pherecydem quam artissime sequi, dummodo Pherecydeae narrationis epitomen in scholiis Od. λ 289 servatam cum bibliothecae verbis 23, 30—24, 30 contuleris, statim perspicies. Sed ubi narratio eo perducta est, ut iam vulturi, quonam modo infirmus factus sit Iphiclus, exponendum sit, Pherecydis auctoritas subito

---

20) Pausan. I 17, 1. Heyne obs. in Apoll. bibl. p. 202.

21) Eur. Heraclid. v. 32. 70. 81. cf. Elmsley ad. v. 70.

22) Eur. suppl. v. 1.

relinquitur. Haec enim epitome illa exhibet. Pherec. fr. 75.

Οὗτος (ὁ αἰγυπιός) δὲ τὴν αἰτίαν τῆς ἀπαιδίας σπορᾶς εὐθέως εὗρεν. Διῶξαι γὰρ τὸν Φύλακον μετὰ μαχαίρας τὸν Ἴφικλον ἔτι νεογνὸν ὄντα διὰ τὸ ἰδεῖν αὐτὸν ἄτοπόν τι ποιοῦντα. Ἔπειτα τὸν Φύλακον μὴ καταλαμβάνοντα πῆξαι τὴν μάχαιραν εἴς τινα ἄχερδον καὶ περιφῦναι αὐτῇ τὸν φλοιόν. Τὸν δὲ Ἴφικλον διὰ τὸ δέος μηκέτι παῖδας ποιῆσαι.

Illud igitur *ἄτοπόν τι ποιοῦντα* quo alio spectet nisi ad masturbationem non expedio; hoc autem statuto, quomodo et pater iratus cultro armatus eum persequatur et ipse Iphiclus subito terrore correptus procreandi vi spolietur facile explicatur. Iam audias Apollodorum 24, 18 s.

Παραγενομένου δὲ τοῦ αἰγυπιοῦ παρὰ τούτου μανθάνει δή, ὅτι Φύλακός ποτε κριοὺς τέμνων ἐπὶ τῶν αἰδοίων[23]*) παρὰ τῷ Ἰφίκλῳ τὴν μάχαιραν ᾑμαγμένην ἔτι κατέθετο, δείσαντος δὲ τοῦ παιδὸς καὶ φυγόντος αὖθις κατὰ τῆς ἱερᾶς δρυὸς αὐτὴν ἔπηξε καὶ ταύτην ἀμφιτροχώσας ἐκάλυψεν ὁ φλοιός.*

Vides multo artificiosius nec sane veri simile commentum. Ut enim culter ille, quo Phylacus arietes exsecat, tanto terrore puerum impleat, ut ei solo adspectu suo virilitatem adimat, cur, obsecro, se in fugam iacit? Aut unde tam subitus terror, cum patri, dum exsecat, tranquillo animo adstiterit? Sive ipse

---

[23]) sic Parisinus; *αἰβίων* ceteri, ex quo vulgo faciunt *ἀγρῶν*; perperam.

Apollodorus haec invenit sive, id quod probabilius videtur, aliunde sumpsit[24]), huc certe non quadrant Pherecydisque narrationi male sunt interposita. Ceterum etiam illud, quod Phylacus forte arietes exsecuisse dicitur, Pherecydi deberi opinor, ita quidem, ut hic perinde ac saepius Pherecydis fragmentum ex bibliotheca compleri possit. Aut enim ego egregie fallor aut narravit Pherecydes, cum Phylacus forte arietes exsecaret, filiolum eiūs Iphiclum qui prope adstaret spurci aliquid fecisse; quod cum pater animadvertisset, eum cultro, quem forte manu haberet, filium petiisse scilicet minitantem, se ei perinde facturum esse atque arietibus; tum filium statim effugisse tantoque terrore percussum esse, ut virilitatem amitteret; ita enim nisi fallor omnia se bene excipiunt.

Eodem modo in Orionis fabula egit scriptor 8, 16, simpliciter eum e terra editum esse narrans; id quod nusquam alibi extat. Sed procul dubio vulgarissimam eandemque spurcissimam fabulam[25]) ab Euphorione (fr. 108) copiosius enarratam, ceterum iam Pindaro (fr. 50. 51 Bergk) notam ante oculos habet, quam ita tacite indicare quam longius exponere maluit.

Denique non est omittendum, non exiguam intercedere bibliothecae cum tabulis illis similitudinem, quas puerorum institutioni serviisse hodie inter omnes constare puto v. C. I. G. III 6126. 6129; quas ex ipsa

[24]) Ut hoc malim, imprimis sacrae illius quercus commemoratione permoveor, quam vix de suis scriptorem addere potuisse censeo. Ceterum cf. schol. Theocrit. III 43 cum notis Duebneri.

[25]) v. Meineke anal. Alexandr. p. 133.

bibliotheca fluxisse[26]) quamquam non tam confidenter statuo quam Heynius obs. p. 227, tamen id efficitur, in puerorum ludis res fabulares secundum stirpes dispositas enarrari solitas esse, quam rationem bibliothecae quoque auctorem secutum esse videmus.

Iam igitur eo pervenimus, ut qua aetate bibliotheca orta sit enodare studeamus; quae quaestio multis difficultatibus est impedita. Atque primum quidem auctorem post Castorem vixisse i. e. post a. 61 a. Chr. n. ex iis, quae supra diximus, apparet. Sed si longius progredi conamur, testimonia nos deficiunt. Nam ante Photii aetatem auctorem bibliothecae vixisse vel sine diserto illo testimonio intellexerimus. Quod vero et in scholiis in Iliadem, Odysseam, Pindarum, Euripidem laudatur Apollodorus et bibliothecae particulae non solum in scholiis in Aristophanem et Platonem sed etiam in Zenobii libello passim interpositae leguntur, eo prorsus nihil lucramur, cum nec de scholiorum illorum aetate nec quo tempore Zenobii epitome has interpolationes experta sit constet.

Itaque num alia ad certum enucleandum tempus pateat via, circumspiciendum est. Atque primum quidem cum in scholiis ad Apollonium conscriptis, in quibus multae res eodem modo tractantur atque in bibliotheca, nulla huius libelli mentio fiat, bibliothecam quo tempore scholia illa orta sunt aut nondum extitisse aut nulla

---

[26]) Verborum similitudo exigua, res, quae narrantur, ita de trivio sumptae sunt, ut auctor eas aut perbene ipse scire aut aliunde habere potuerit. Denique in bibliotheca nihil de Argivae Junonis sacerdote.

auctoritate valuisse necesse est. Quodsi recte Ruhnkenius[27]) observavit nullum in his scholiis Tiberii aetate inferiorem auctorem laudari ita ut illo fere tempore hanc collectionem factam esse putandum sit, ne bibliothecam quidem ante Tiberium scriptam esse verisimile est. Quam coniecturam nihil est quod impediat, multa quae commendent.

Quamquam enim iam primo a. Chr. n. saeculo et Augusti aetate fabulae tam accurate exponi coeptae sunt, ut nec de suis quicquam adderet scriptor neque incredibilia ac miraculosa tolleret nec denique ad physicam interpretationem confugeret, sed fontes quam diligentissime sequeretur[28]), tamen corroberavit et floruit hoc studium Tiberii demum temporibus; quem ipsum his rebus quam maxime deditum fuisse, ex Suetoni (Tib. 70) celeberrimo neque quod hic totum apponatur indigno testimonio perspicuum est. „Maxime tamen curavit notitiam historiae fabularis usque ad ineptias atque derisum; nam et grammaticos, quod genus hominum praecipue, ut diximus, appetebat, eiusmodi fere quaestionibus experiebatur, quae mater Hecubae[29]), quod Achilli nomen inter virgines fuisset,

---

[27]) v. Heyne Vergil. II p. 398.

[28]) Imprimis Conon et Parthenius nominandi sunt, quorum alterum id spectasse constat, ut poëtarum usui fabulas suppeditaret. Etiam in poëtarum commentariis fabulas accurate ex fontibus haustas expositas fuisse Didymi exemplo discimus. Diodorus contra in fabulis exponendis historici potius partes agit. Idem fecerunt Nicolaus Damascenus, suavissimus fabulator, et Alexander Polyhistor.

[29]) v. bibl. 105, 3.

quid Sirenes cantare sint solitae. Et quo primum die post excessum Augusti curiam intravit, quasi pietati ac religioni satis facturus, Minois exemplo ture quidem ac vino verum sine tibicine supplicavit, ut ille olim in morte filii[30])." Inde ut studium absconditissimae cuiusque mirabilissimaeque fabulae vel indagandae vel commenticio auctore addito fingendae natum est[31]), ita, cum harum rerum accurata notitia ad eruditionem pertineret, etiam in ludis historiam fabularem diligentius tractari par erat non iam eo consilio, ut quae in fabulis aut rerum gestarum aut antiquissimae sapientiae inessent frustula indagaretur, sed ut pueri cum vulgarem fabulam tum variorum scriptorum varia ediscerent commenta, ante omnia autem ut semper fabulae cuiusque praesto haberent auctorem. Huic autem studio bibliotheca tam est accommodata, ut impetrare a me non possim, quin illo potissimum tempore eam scriptam esse suspicer; quod tamen studium cum minime Tiberii morte terminatum sit, sed usque ad Hadriani Antoninorumque aetatem perduraverit, bibliothecae natales ad posterius quam ad prius tempus referre malo. Quod ut faciam, eo praecipue permoveor, quod in hoc opusculo poëtae epici (Asium dico, Cercopem, Eumelum, Panyasin) saepius laudantur; quorum cum per aliquod tempus memoria paene oblitterata esset auctoritasque apud Alexandrinos fuisset minima, iidem v. c. Pausaniae quam maxime sunt in deliciis. Atqui hoc non

---

[30]) v. bibl. 117, 20 s.

[31]) Hercher de fluviis p. 31.

tam illius singulari alicui studio, quam totius aetatis sensui ac iudicio tribuendum esse inter omnes constat. Idem autem iudicium Apollodorus quoque probasse videtur. Quare eum priore fere alterius post Chr. saeculi parte vixisse suspicor.

Huic autem suspicioni mire favet ipsius libelli dictio, quippe quae multa praebeat posterioris graecitatis vestigia. Tantum enim abest, ut Sommero[32]) Apollodorum suo qui dicitur stilo usum non esse concedamus, ut potius hoc cum omnino fieri posse negemus, tum in bibliotheca certe non esse factum demonstraturi esse nobis videamur. Primum igitur in hoc libello idem accidit, quod in parallelis et libello de fluviis conscripto accidisse sagacissime observavit Hercher l. l. p. 5, scilicet ut auctor (Hercheri verba sunt) artissimo sese verborum gyro praecingeret. Ita fit, ut sicubi similis res narretur, similes semper recurrant formulae. v. c. 14, 29 *καὶ συνεχῶς φοιτῶσα ἐπὶ τὴν θάλασσαν.* — 22, 13 *συνεχῶς ἐπὶ τὰ τούτου ῥεῖθρα φοιτῶσα.* — 110, 10 *καταψευσαμένης φθοράν.* 115, 20 *κἀκείνη τῶν προγόνων φθορὰν καταψεύδεται.* — 3, 4 *οἳ μεγέθει τε ἀνυπέρβλητοι καὶ δυνάμει καθειστήκασιν.* 10, 12 *μεγέθει μὲν σωμάτων ἀνυπερβλήτους, δυνάμει δὲ ἀκαταγωνίστους.* 11, 21 *μεγέθει καὶ δυνάμει πάντων διήνεγκεν.* 49, 23 *μεγέθει καὶ ῥώμῃ πάντων διήνεγκεν.* — 17, 7 *Μελέαγρος δὲ ἀνὴρ ἄτρωτος καὶ γενναῖος γενόμενος.* 19, 8 *Τυδεὺς δὲ ἀνὴρ γενόμενος*

[32]) Sommeri editionem inspicere mihi non licuit; quare omnia, quae de eo dicturus sum, in uno C. Mülleri (F. H. G. I p. XL) testimonio nituntur.

γενναῖος. — 13, 28 *Ζεὺς ἐπέτρεψεν αἰτεῖσθαι, ὅ, τι βούλεται ὁ δὲ αἱρεῖται κτλ.* 15, 19 *Ζεὺς δὲ αὐτῷ δίδωσιν ὃ βούλεται ἑλέσθαι, ὁ δὲ αἱρεῖται κτλ.* 16, 14 *Ζεὺς δὲ — ἐπέτρεψεν αὐτῇ — ἑλέσθαι, ὁποτέρῳ βούλεται συνοικεῖν· ἡ δὲ — τὸν Ἴδαν εἵλετο ἄνδρα.* — 19, 22 *καθείρξαντες ᾐκίζοντο.* 83, 31 *ᾐκίζετο καθείρξας.*

Deinde has potissimum voces in deliciis habet·

ἀσκεῖν τὰ κατὰ πόλεμον 16, 31. 102, 7. *κιθαρῳδίαν* 83, 30. *ἀνδρίαν* 57, 2. *τὴν τέχνην* 99, 19. *πυγμήν* 102, 7.

δυναστεύειν τοῦ παντὸς κόσμου 3, 1 *οὐρανοῦ* 109, 6 *Βοιωτίας* 20, 3 *Ἄργους* 40, 16 — *δυναστεία. τρίτον μέρος τῆς δ.* 41, 10. *ἐπετίθετο τῇ δ.* 83, 17. *παραλαβόντες τὴν δ.* 84, 6. *διάδοχος τῆς δ.* 96, 14 — *δυνάστης Τευθρανίας* 68, 2. *Οἰχαλίας* 63, 20 *Κρητῶν* 75, 22.

ὑπερμεγέθης. Τιτυός 7, 32. *σπεῖραι* 11, 28 *ὄρος* 12, 30 *πέτραι* 30, 1. *δράκοντες* 49, 4 *ὕδρα* 52, 17. *καρκίνος* 52, 28.

Plurimum autem ad singula enuntiata coniungenda particula *αὖθις* utitur. *αὖθις δὲ γαμεῖ* 20, 5. 109, 1. *αὖθις δὲ γήμας* 114, 9. v. praeterea 21, 22. 22, 2. 24, 22. 26, 4. 41, 5. 64, 2. 66, 17. 82, 1. 83, 5. 107, 4. 115, 6. 116, 4. 21. et passim.

His praemissis, ex quibus libelli dictio neque satis composita neque elegans perspiciatur, iam primum ea subiungam, quae simili modo in parallelis et de fluviis libello, quae opuscula Hercherus eidem fere aetati tribuit, cui nos bibliothecam, inveniuntur, tum ea, quae per se posteriorem redolent graecitatem. 1. *λόγους*

περὶ συνουσίας προςπέμπει 41, 32. 108, 12. cf. λόγους αὐτῷ περὶ συνόδων ἀπέστειλε Fluv. 2, 2. 3. 1. Par. 34a. observavit Hercher p. 6, 10. — 2. περικατάληπτοι γινόμεναι 114, 16. περικαταλαμβανομένη 112, 3. Fluv. 3, 1. 4, 3. 7, 1. 5. Par. 22a. Hercher l. l. p. 8, 41. — 3. τὰ προειρημένα 45, 16 τοὺς προειρημένους 75, 1. Fluv. 1, 1. cetera collegit Hercher. p. 8, 44. — 4. ἀθυμήσας 83, 23. Fluv. 9, 1. 17, 1. Par. 9b 22b. Hercher p. 6, 2. — 5. ταῖς ἀληθείαις 70, 7. Par. 34a. qui pluralis florentibus graecis literis a poëtis tantum usurpari videtur v. Meineke Menandri et Philemonis fr. p. 410. — 6. ἐκδικεῖν ulcisci 36, 16. 47, 15. 50, 16. 60, 26. 67, 8. ἐκδικία 93, 20. — 7. ὀξυδερκία 99, 4. — 8. τῆς μεγάλης ῥίζης γενεάρχης 37, 28. — 9. παραπέμπεσθαι neglegere 34, 28. 74, 14. animadverte medium genus, quod alibi nusquam extare videtur. — 10. μεταλλάσσειν obire. 41, 24. 76, 3. 111, 9. 27. — 11. προσανεῖχεν Ὑρνηθοῖ 74, 16. — 12. ἀπεκρύβετο 77, 10. κρυβῆναι 78, 5. 109, 17. quae forma ante Diodorum non inveniri videtur. cf. Lobeck ad Aiac. 1145 — 13. τυφλὸς τὰς ὁράσεις 89, 14. — 14. ἀπώλεια 18, 13. 105, 10. — 15. καθοδηγός 79, 4. — 16. λαφυραγωγεῖν τὴν πόλιν 70, 1. — 17. εὐστοχεῖν 15, 13. ἀστοχεῖν 49, 26. — 18. ἀδοξεῖν 18, 7. — 19. αἰτεῖσθαι ἵνα 25, 25. εὐχὰς ποιεῖσθαι ἵνα 107,28. — 20. ἡ τοῦ θνήσκειν ἡμέρα 25, 27. ὁ τῆς μανίας χρόνος 94, 3. — 21. ἅρμα ἵππων πτηνῶν 12, 20. ἅρμα πτηνῶν δρακόντων 35, 3. cf. Dio Cassius 67, 16. 74, 4. — 22. ἐχομένως 35, 18. 74, 29. — 23. τὰς κλεῖς τοῦ Ἅιδου φυλάττει. 107, 15. — 24 εἰς ἐπιθυμίαν ὤλισθε τῆς Ἀθηνᾶς 112, 29. cf. Antho-

log. VII. 233, 3. *ὀλισθῆσαν* 54, 21. *ὀλισθήσασα* 77, 21 qua de forma conferendus est Lobeckius Phryn. p. 742.

Denique non est omittendum scriptorem Iasonem 26, 7 *πόθῳ γεωργίας* ruri degisse narrantem aperte suae aetatis studium ad heröum tempus transferre.

Cum autem tam recenti aetati bibliothecam tribuamus, qui factum sit, ut in superioris antiquitatis monumentis memoria eius occurrat nulla facile explicatur. Contra Byzantinis hominibus valde hic libellus placuisse videtur, qui eo ad poëtarum opera interpretanda plurimum uti solebant. Inde fit ut passim in scholiis non iis solum, quae in Homerum et poëtas tragicos sed etiam in iis, quae in Platonem scripta sunt, bibliothecae deprehendas frustula; quae, si quidem caute atque accurate iis utaris, ad restituendam Apollodori manum summi momenti sunt. Quare dolendum est, quod nemodum post Heynium, qui de Apollodoro unice meruit, accuratius inquisivit, quae inter eas, quas scholia et interpolator Zenobii exhibent, et nostrorum codicum scripturas intercederet ratio. Quam quaestionem si hic enodare studerem, et ultra huius dissertatiunculae modum egrederer et onus vix ad vires meas accommodatum subirem. De iis tamen, quae nescio quis in Zenobii proverbia inseruit, pauca monebo.

Atque primum quidem tria genera discernenda sunt, quorum primum ita est comparatum, ut interpolator aut bibliothecae verba accuratissime exscripserit aut saltem non longius ab ea discesserit, quam ut vocabulis bibliothecae alia, quae prorsus idem valent, substitueret; qua in re num semper Zenobiani interpolatoris

lectio prae codicum nostrorum auctoritate reicienda sit an potius archetypi librarius pro quaesitis Apollodori verbis vulgaria ponere maluerit, id quod in parallelis factum esse constat[33]), in medio relinquo. Hoc igitur genus ad singula bibliothecae verba, quorum quidem vitium in literarum ductu situm est, corrigenda plurimum valere puto velut interpolatoris Zenobii *ἀναπτᾶσαι* I, 41 illi, quod bibliothecae codices exhibent, *ἀναστᾶσαι* 44, 19 longe praestat. Atque ut interpolatorem verborum ordinem nonnunquam mutare narrationemque in angustiora contrahere praetermittam, saepe fit, ut apud Zenobium verba vel parvi ambitus enuntiata invenias, quae in bibliotheca desiderentur. Quid igitur de his iudicandum est? Est sane ubi talia addantur, ut fabula nimirum ex contextu evulsa intellegi possit. Sed haec excusatio plerumque nihil valet. Quare si haec in nostris exemplaribus excidisse librarii socordia statuas non refragabor; quamquam pro certo tum demum habebo, cum alia testimonia accesserint. Velut cum et schol. Il. *Δ* 42 et Zenob. II, 15 in Danai fabula ad *στασιασάντων* addatur *περὶ τῆς ἀρχῆς*, id quod in bibliotheca 38, 6 non extat, cumque neque Zenobii interpolatorem scholiastam Homeri neque illum Zenobii interpolatorem exscripsisse appareat, haec verba olim in bibliotheca lecta esse existumo. Huic primo generi adnumeranda esse duco Zenob. I, 7 = bibl. 9, 5—11. I 18 = 99, 16—100, 5. 25, 23—31. I 30 = 86, 28—87, 14. 91, 11—22. 92, 4—14. I 33 = 54, 15.

---

33) Hercher de fluviis p. 10.

68, 25—69, 6. 69, 26—70, 22. I 41 = 42, 26—44, 20. 45, 7—28. II 6 = 38, 1—8. 38, 20—24. 39, 28—31. II 87 = 41, 28—42, 25. III 14 = 114, 1—19. III 76 = 15, 17—20. IV 27 = 6, 21—26. IV 92 = 26, 1—26. 31, 1—7. 31, 25—32, 2. 34, 12—22. V 33a = 17, 3—15. 18, 1—14. V 33 c. = 57, 5—7. 57, 26—58, 2. V 43 = 86, 22—23. V 86 = 33, 19—32. VI 21 = 28, 4—11. VI 26 = 52, 15—53, 4.

Alterum genus id dico, ubi non solum nullius momenti enuntiatum, sed tota aliquae historiola addita est eaque ita comparata, ut in ea sola tota, quae inter proverbium explicandum et fabulam enarratam intercedit, necessitudo posita sit. Eiusmodi duo tantum exempla inveni II 48 et II 61; quorum unum cum ad *Ἀμαλθείας κέρας* et *Αἲξ οὐρανία* proverbia explicanda adscriptum sit, fere totum haustum est ex bibliotheca 4, 5—7 et 68, 7—9; sed addita sunt haec verba *αὐξηθεὶς δὲ ὁ Ζεὺς τὴν μὲν αἶγα κατηστέρισεν, ὅθεν Αἲξ οὐρανία λέγεται, θάτερον δὲ τῶν ταύτης κεράτων ταῖς νύμφαις δίδωσι, δεδωκὼς αὐτῷ χάριν, ἵν' ὅπερ αἱ νύμφαι θέλωσιν αὐταῖς ἀναβλύζῃ*. Eodem modo ea quae ad *Βάλλ' εἰς Μακαρίαν* proverbium adscripta sunt bibliothecae narrationi 71, 25—72, 5 similiora sunt quam lac lacti; sed Macariae fabula, quam Zenobii interpolator exhibet, quae sola ad rem facit, in bibliotheca non extat. Haec igitur unquam in bibliotheca extitisse nego, sed Zenobii interpolatorem eodem artificio usum esse puto, quod scholiorum compilatores saepius adhibuisse videmus, scilicet ut narratiunculas alicunde petitas ipsi demum ad poëtae verba

accommodarent. Neque profecto id ullo numero esse potest, quod etiam in schol. Ar. equ. 1151 Macariae mors enarratur. Quae enim in deteriorum codicum Aristophaneorum scholiis fabulae ad bibliothecae similitudinem enarrantur, earum pleraeque non ex ipso Apollodoro, sed ex Zenobii interpolatis codicibus haustae sunt. v. c. schol. equ. 785 = Zenob. I 7. schol. vesp. 1239 = Zenob. I 18.

Tertio loco ea pono, quae cum aut ordinem Apollodoreae narrationis sequantur aut tota eius enuntiata exhibeant, tamen continent, quae bibliothecae prorsus repugnent. Hoc cadit in Zenob. II 68. bibl. 85, 2—86, 22. Zenob. IV 6. bibl. 76, 14—77, 3. 117, 16—20. 118, 13—15. Zenob. IV 38. bibl. 20, 3—22. Atque ut in posterioribus duabus historiolis interpolatorem Zenobianum libidini suae indulsisse mihi persuadeam, qui factum sit, ut in primo exemplo tota bibliothecae particula totidem verbis expressa prorsus diversae narrationi interponatur, neque possum interpretari neque pro huius dissertatiunculae ratione curo. Hoc tamen patere puto ex hoc genere conclusionem ad ea, quae forte olim in bibliotheca scripta esse opineris, non permitti.

Praeterea non contemnendum praesidium ad restituenda Apollodori verba ex iis scholiis petendum est, quae quamquam non ex ipsa bibliotheca exscripta sunt, tamen ex eodem fonte fluxerunt. Veluti 61, 24 in Herculis expeditione ad Hesperidum hortos describenda, qua in parte libelli Apollodorum Pherecydis narrationem ante oculos habere iam dudum intellectum est, haec

verba legis sensu prorsus cassa. *καὶ διὰ τῆς Λιβύης πορευθεὶς ἐπὶ τὴν ἔξω θάλασσαν καταπλεῖ, οὗ τὸ δέπας καταλαμβάνει.* Atqui in alia Pherecydeae narrationis epitome, quae in scholiis in Apoll. IV 1396 extat, eadem res ita exponitur. *καθάρας δὲ τὴν Λιβύην κατέβη ἐπὶ τὴν θάλασσαν τὴν ἔξω κειμένην, λαβὼν χρυσοῦν δέπας παρὰ Ἡλίου.* Quare Heynius *παρὰ τοῦ Ἡλίου* verbis bibliothecae inserere voluit. At patet in illo *καταπλεῖ* vitium latere. An Herculem artis in terra navigandi peritum fuisse putas? Immo *καταπλεῖ οὗ* nihil aliud est quam *παρὰ Ἡλίου, παρὰ* et *κατὰ* ut saepius, inter se permutatis et *η* litera cum *π* confusa; scribendum igitur *καὶ διὰ τῆς Λιβύης πορευθεὶς ἐπὶ τὴν ἔξω θάλασσαν παρὰ Ἡλίου τὸ δέπας καταλαμβάνει.*

His igitur subsidiis codicum nostrorum corruptelis, quibus illos scatere constat, succurri potest. Librorum autem illorum archetypon ut saepius singulorum verborum vel leviorum enuntiatorum iacturam fecisse iudico, ita ab interpolationibus satis liberum fuisse puto. Nam quater tantum iure viros doctos obelo usos esse existumo; primum recte versiculi illi, qui tribus locis p. 43. 81. 90. continuationem narrationis male interrumpunt, vulgo damnantur; tum rectissime Heynius ea, quae 104, 4—17 de Palladio leguntur, insiticia esse iudicavit; prorsus enim exordium illud *ἱστορία δὲ ἡ περὶ παλλαδίου τοιήδε φέρεται* consuetudini Apollodori repugnat; praeterea, ut alia mittam, oratio indirecta observanda est. Cetera autem omnia defendi posse censeo. Sed haec hactenus.

CAP. II.

De bibliothecae compositione et fontibus.

Haec bibliotheca, quam hodieque tenemus, omnis dividitur in partes septem; quarum in prima (3, 1—12, 32) deorum natales exponuntur, in altera Deucalionis stirps explicatur singulorumque Deucalionidarum fata enarrantur, (13, 1—35, 16) in tertia (35, 18—94, 14) de Inachi genere, quippe quod per totam Pelopis insulam, Phoenicen, Aegyptum, Cretam, denique Thebis floruerit, agitur; cui in quarta parte Pelasgi, quem et ipsum Inachi fuisse prolem fuerunt qui narrarent, gens subiungitur (94, 15—97, 13); quinta particula Atlantis (97, 14—106, 17), sexta Asopi progeniem continet (106, 18—110, 20), septima denique fabulas Atticas complectitur (110, 21 usque ad finem), in quibus enarrandis subito abrumpitur libellus. In iis, quae interciderunt, praeter alia de Minotauro, Phaedra, Ariadne actum fuisse, ex ipsius Apollodori diserto testimonio 77, 4 discimus; duo porro huius particulae fragmenta apud Zenobium servari suspicor, quorum hoc Zen. IV 92b mortem Minois, illud Zen. V 33b Thesei et Pirithoi certamen cum Centauris commissum exponit. Nam quamquam Apollodorus non diserte laudatur, haec coniectura tamen eo commendatur, quod et fabulas apud Zenobium extantes, quae quidem cum ipsius proverbii explicatione non artissime cohaerent, fere omnes ab interpolatore ex hac bibliotheca illuc translatas esse iam supra indicavimus et harum potissimum historio-

larum una narrationi ex bibliotheca haustae subiuncta, altera duabus fabulis Apollodoreis cincta est. Accedit oratio prorsus Apollodoro digna. Sed non solum fabulae Atticae usque ad finem narratae erant, sed etiam Ulixis aliorumque errores expositi fuerint necesse est, si quidem et ipse Apollodorus nos eo remittit 6, 31, et Photius l. l. se eos in hoc libello legisse testis est. Atque ex hac opusculi particula ea quae Tzetzes, quem bibliothecam saepissime adhibuisse constat, alium autem aut huius aut clarioris illius Apollodori librum habuisse minime est veri simile, ad Lycophr. 440. 902. 921 laudato Apollodoro adnotavit deprompta esse certissima ratione statuit Heynius I p. 386 Agitur autem in fragmentis illis de Amphilochi, Gunei, Prothoi, Neoptolemi, Laomedontis denique filiarum post Troiam captam fatis; quibus olim belli Troiani narrationem antecessisse consentaneum est. Atque cum in Asopidis (sic mihi sextam libelli particulam vocare liceat) calce ii enumerentur, qui Achillem in Troiam comitati sunt, et inter hanc enumerationem atque Atticas fabulas nonnulla intercidisse editores statuant fere omnes, in propatulo est coniectura, illic quondam expeditionem Troianam expositam fuisse. Quae sententia licet fortasse cui adrideat, tamen ego eam amplecti nullo modo possum. Nam primum codices illic re vera mutilatos esse vix pro tam explorato habuerim quam Heynius II p. 318. Neque enim transitio magis est abrupta, quam aut ab Arcadicis fabulis ad Atlantis stirpem 97, 14 aut ab illa ad Asopi genus 106, 17 neque quomodo iactura facta sit, facile explicari potest,

quomiam et Asopidis extremum enuntiatum absolutum est et res Atticae ita inchoantur, ut nihil, quod quidem ad Atticam spectet, antecessisse possit. Tum autem diserto Photii testimonio constat libellum in Ulixis fatis exponendis desiisse. Cum vero pro totius bibliothecae ratione necesse sit hanc quoque narrationem cum gentis alicuius descriptione coniunctam fuisse, sagacissime Heynius II p. 350 scriptorem a Pelopis stirpe profectum ad expeditionem Troianam pervenisse statuit, praesertim cum celeberrimi illius generis fata in fabularum compendio aegre desiderentur. Quare in Pelopidarum fabulis octavam bibliothecae particulam versatam fuisse valde est veri simile.

Stemmata igitur heröum quasi stamina sunt, quibus, ubi clarioris cuius viri mentio incidit, singulae fabulae inseruntur neque ex eodem semper fonte haustae ac stemma, neque inter se aut cum stemmate conciliatae. Quam rem paucis exemplis illustrabo. Nam cum inter Inachi posteros Argus, cui cognomen erat *πανόπτης*, commemoretur idemque corporis robore insignis Satyrum nescio quem, latronem gregibus Arcadum periculosissimum, occidisse tradatur 36, 8, nonne apparet, ea quae mox de Ione 36, 28 et Amymone 38, 29 narrantur, ex eodem fonte, ac stemma illud regum Argivorum, nullo modo fluere potuisse? Nam qui in Ius fabula inducitur Argus *ὁ πανόπτης* non iam pavidorum pastorum validissimus est patronus, sed potius celeberrimus ille custos Ius, prioris Argi neptis. An auctor, cui haec debentur, posteriorum mythographorum more duos Argos, quorum utrique cognomen *πανόπτης* erat, di-

stinxit? At animadverte quae de parentibus Argi secundum varios auctores referantur, eorum nihil, si unius Acusilai exceperis narrationem, cum stemmate praecedente conspirare. Ut autem Ius fabulam Acusilao deberi concedam, stemma certe ex eius opere fluxisse nequit, cum ille 36, 21 alia de Ius patre tradidisse dicatur. Sed cum uni eorum scriptorum, qui 36, 28 nominantur, ea, quae de Ione in bibliotheca exponuntur, attribui consentaneum sit neque quisquam eorum stemmatis praecedentis auctor esse possit, hanc fabulam aliunde stemmati interpositam esse elucet. Idem cadit in Amymones fabulam 38, 11, ubi satyrus non iam immanis rusticorum inimicus, sed lasciva persona scenica est.

Simili modo 84, 25 e Niobes liberis duo tantum tristissimum supplicium effugisse narrantur, Amphion et Chloris, qui tamen paulo antea in Niobidarum catalogo desiderantur neque ibi, cum numerus constet, ullo modo inseri possunt[1]).

Sed luculentissimum huius rei exemplum extat in fabulis Atticis 115, 12—23. Nam cum 115, 15 Boreae filii Phineum ab harpyiis liberasse dicantur, paulo post ipsum Boream una cum Argonautis Phineum puniisse traditum est. Vides duas fere contrarias fabulae formas, quasi

---

[1]) Non ignoro, Bergkium poët. lyr. gr. III p. 1112 huic difficultati ita succurrere voluisse, ut pro Ἀμφίων v. c. Δαμασίστρατος legendum esse Chloridemque unam ex iis, quae supra nominatae essent, filiabus esse, quae subito terrore χλωρή facta ex re nomen accepisset (coll. Paus. II 21, 9) statueret. Sed hoc diserte Apollodoro indicandum fuisset; ex iis, quae hodie extant verbis, nemo profecto tale quid concludere potest.

optime inter se consentiant, iuxta positas esse; id quod ab alio scriptore quam a tali compilatore factum esse nemo sibi persuadeat. Itaque quod nonnunquam v. c. 111, 30 ipse profitetur, se iam alium atque antea auctorem secuturum esse, idem eum tacite saepissime facere apparet. Atque quae eiusdem gentis descriptioni insertae sunt fabulae, eae diversissimis debentur auctoribus, ita quidem, ut si quis hanc rem ad certam rationem revocare conetur, is arenae semina mandaturus sit. Veluti ut ea praesumam, quae ita sese habere aut inter omnes constat aut ego postea argumentis confirmaturus sum, ex historiolis, quae ad Deucalionis stirpem spectant, Marpessae raptus 16, 5 — 17 debetur Simonidi, Meleagri mors venatioque Calydonia 17, 1 — 18, 14 fabulae Euripideae, Melampodis historia 23, 18—24, 30 Pherecydi; Argonautarum expeditio ex Apollonio Rhodio hausta est, ita tamen ut bis (26, 1—29 et 31, 31—32, 4) Pherecydis frustula interposita sint; quod qua ratione factum sit, non expedio; denique 34, 27 — 35, 4 hypothesis extat Medeae Euripidis.

Ut vero singulis stemmatibus hae historiolae ex diversis fontibus haustae interponuntur, ita ne ipsa quidem stemmata ad eundem omnia auctorem referri possunt. Nam cum 15, 22 Aetolus, 35, 28 Thelxion et Telchin Apim interfecisse dicantur, efficitur, quoniam utraque narratio ab ipsius stirpis descriptione seiungi nequit, Deucalionidarum stemma ad alium auctorem referendum esse atque Inachidarum. Simili modo cognosci potest, fabularum Atticarum fontem a Deucalio-

nide diversum esse; hic enim 21, 21 Cephalus, Deionis filius, Procrin, Erechthei filiam, in matrimonium duxisse idemque ab Aurora raptus esse dicitur; illic vero duo Cephali[2]) discernuntur, quorum unus 111, 16 Mercurii et Herses filius ab Aurora amatur, alteri 114, 28, Deionis proli, nubit Procris. Denique cum, id quod iam supra p. 9 monui, 111, 17 Tithonus Aurorae filius, 104, 25 eiusdem deae amasius, filius autem Ili vocetur, nonne patet, Apollodorum alium in Atlantis stirpe describenda alium in Atticis fabulis sequi auctorem? Talia vero est ubi diserte scriptor nobis indicet 21, 27 (conf. 98, 31), plerumque aut omnino non animadvertit aut consulto neglegit.

Ex iis, quae attuli, efficitur, Apollodorum se per totum libellum accuratissime fontibus suis accommodasse, ita quidem ut aut nunquam aut perraro varias auctorum suorum narrationes inter se conciliare studeret. Id quoque elucet, quod vix monendum esse duco, Apollodorum ex virorum doctorum scriptis omnia hausisse neque aut ex memoria aut ex populi narratiunculis haec conscripsisse. Quod si fecisset, talia aut omnino evitasset aut certe diligentius adnotasset.

Pervenimus igitur ad totius quaestionis quasi cardinem, unde totum iudicium nostrum non solum de libelli utilitate sed etiam de scriptoris doctrina pendet.

---

[2]) Non me fugit, 48, 7 in Amphitruonis contra Taphios expeditione describenda Apollodorum tertiam de Cephalo narrationem attulisse, ab earum quas supra notavi utraque diversam. At fabula illa aperte aliunde Inachidarum stemmati inserta est; quare huc, ubi de ipsorum stemmatum fontibus agitur, non quadrat.

Indagandi enim sunt auctores, quos Apollodorus in bibliotheca conscribenda adhibuisse videtur aut, ut paulo accuratius dicam, quorum frustula aliqua cum probabilitate ex hoc libello erui posse putaveris, sive ille eos ipse cognovit sive iam ab aliis adhibitos invenit.

Permulta in bibliotheca et scriptorum et poëtarum nomina occurrunt, sed ratione valde diversa. Sunt enim quorum sententias fere semper adnotet, ut eorum scripta nunquam de manibus deposuisse videri possit; sunt qui semel tantum vel bis in aliorum scriptorum nube laudentur, ubi id agitur, ut in certa quaestione diversas diversorum auctorum narrationes adferantur. Posterius igitur genus ut prius adumbrem, quotiens Apollodorus tali ratione varios scriptores inter se comparet, ipsius verbis appositis indicabo; fecit autem hoc novies.

I. 18, 30. de matre Tydei agitur. *Ἀλθαίας δὲ ἀποθανούσης ἔγημεν Οἰνεὺς Περίβοιαν τὴν Ἱππονόου. ταύτην δὲ ὁ μὲν γράψας τὴν Θηβαΐδα πολεμηθείσης Ὠλένου λέγει λαβεῖν Οἰνέα γέρας, Ἡσίοδος δὲ ἐξ Ὠλένου τῆς Ἀχαΐας, ἐφθαρμένην ὑπὸ Ἱπποστράτου τοῦ Ἀμαρυγκέως, Ἱππόνουν τὸν πατέρα πέμψαι πρὸς Οἰνέα πόῤῥω τῆς Ἑλλάδος ὄντα ἐντειλάμενον ἀποκτεῖναι* (sic Faber. cod. *ἀποστεῖλαι*), *εἰσὶ δέ τινες οἱ λέγοντες, Ἱππόνουν ἐπιγνόντα τὴν ἰδίαν θυγατέρα ἐφθαρμένην ὑπὸ Οἰνέως ἔγκυον αὐτὴν πρὸς τοῦτον ἀποπέμψαι. ἐγεννήθη δὲ ἐκ ταύτης Οἰνεῖ Τυδεύς. Πείσανδρος δὲ αὐτὸν ἐκ Γόργης γενέσθαι λέγει· τῆς γὰρ θυγατρὸς Οἰνέα κατὰ βούλησιν Διὸς ἐρασθῆναι.*

II. 19, 9. cur Tydeus in exilium missus sit, quaeritur — *ἐφυγαδεύθη, κτείνας ὡς μέν τινες λέγουσιν, ἀδελφὸν Οἰνέως Ἀλκάθοον, ὡς δὲ ὁ τὴν Ἀλκμαιωνίδα γεγραφώς, τοὺς Μέλανος παῖδας ἐπιβουλεύοντας Οἰνεῖ, ... ὡς δὲ Φερεκύδης φησίν, Ὠλενίαν ἀδελφὸν ἴδιον.*

III. 28, 11. quaeritur, num Hercules expeditionis Argonautarum fuerit particeps. *Ἡρόδωρος δὲ αὐτὸν οὐδὲ τὴν ἀρχήν φησι πλεῦσαι τότε, ἀλλὰ παρ' Ὀμφάλῃ δουλεύειν. Φερεκύδης δὲ αὐτὸν ἐν Ἀφεταῖς τῆς Θεσσαλίας ἀπολειφθῆναι λέγει, τῆς Ἀργοῦς φθεγξαμένης μὴ δύνασθαι φέρειν τούτου τὸ βάρος. Δημάρατος δὲ αὐτὸν εἰς Κόλχους πεπλευκότα παρέδωκε· Διονύσιος μὲν γὰρ αὐτὸν καὶ ἡγεμόνα φησὶ τῶν Ἀργοναυτῶν γενέσθαι.*

IV. 36, 18. de Ius parentibus agitur. *Ἄργου δὲ καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωποῦ παῖς Ἴασος, οὗ φασὶν Ἰὼ γενέσθαι. Κάστωρ δὲ ὁ συγγράψας τὰ χρονικὰ καὶ πολλοὶ τῶν τραγικῶν Ἰνάχου τὴν Ἰὼ λέγουσιν. Ἡσίοδος δὲ καὶ Ἀκουσίλαος Πειρῆνος αὐτήν φασιν εἶναι.*

V. 36, 28. de Argi panoptae patre agitur. *Ἄργον τὸν πανόπτην, ὃν Ἀσκληπιάδης μὲν Ἀρέστορος λέγει, Φερεκύδης δὲ Ἰνάχου, Κέρκωψ δὲ Ἄργου καὶ Ἰσμήνης τῆς Ἀσωποῦ θυγατρός. Ἀκουσίλαος δὲ γηγενῆ αὐτὸν λέγει.*

VI. 40, 11. de Nauplii uxore agitur. *πρὶν δὲ τελευτῆσαι, ἔγημεν, ὡς μὲν οἱ τραγικοὶ λέγουσι, Κλυμένην τὴν Κατρέως, ὡς δὲ ὁ τοὺς νόστους γράψας, Φιλύραν, ὡς δὲ Κέρκωψ Ἡσιόνην.*

VII. 84, 16. postquam quatuordecim Niobes liberi enumerati sunt, haec subiunguntur *Ἡσίοδος δὲ δέκα μὲν υἱοὺς δέκα δὲ θυγατέρας, Ἡρόδωρος δὲ δύο μὲν ἄῤῥενας, τρεῖς δὲ θηλείας, Ὅμηρος δὲ ἓξ μὲν υἱοὺς ἓξ δὲ θυγατέρας φησὶ γενέσθαι.* Sequitur Niobae superbiae liberorumque exitii narratio; tum additur *κατὰ δὲ Τελέσιλλαν ἐσώθησαν Ἀμύκλα καὶ Μελίβοια.*

VIII. 95, 12. de Callistus parentibus agitur. *Εὔμηλος δὲ καί τινες ἕτεροι λέγουσι Λυκάονι καὶ θυγατέρα Καλλιστὼ γενέσθαι· Ἡσίοδος μὲν γὰρ αὐτὴν μίαν εἶναι τῶν νυμφῶν λέγει, Ἄσιος δὲ Νυκτέως, Φερεκύδης δὲ Κητέως.*

IX. 99, 24. quibusnam Aesculapius vitam reddiderit, exponitur *εὗρον δέ τινας λεγομένους ἀναστῆναι ὑπ' αὐτοῦ, Καπανέα καὶ Λυκοῦργον ὡς Στησίχορός φησιν ἐν Ἐριφύλῃ, Ἱππόλυτον, ὡς ὁ τὰ Ναυπακτικὰ συγγράψας λέγει, Τυνδάρεων ὥς φησι Πανύασις, Ὑμέναιον, ὡς οἱ Ὀρφικοὶ λέγουσι, Γλαῦκον τὸν Μίνωος, ὡς Μελησαγόρας λέγει.*

Primum igitur quaeritur, num haec omnia primus Apollodorus corraserit ita ut, quos laudet scriptores, eos omnes ipsum inspexisse evinciatur. Atque ea certe, quibus numeros III et IX praescripsi, iam ante Apollodorum ita collecta erant. Vide modo Philodemus quae exhibeat 131 p. 52 Gomperz.

Ἀσκληπι(ὸν δὲ Ζε)ὺς ἐκεραύνωσ(εν ὡς μ)ὲν ὁ τὰ Ναυπα(κτι)κὰ συνγράψας (κἀ)ν Ἀσκληπιῶ(ι Τελ)έσιης καὶ Κεινη(σίας) ὁ μελοποιός, ὅ(τι τὸ)ν Ἱππόλυτον (παρα)-

κληθεὶς ὑπ' Ἀρ(τέμι)δος ἀνέστ(η)σε(ν, ὡς δ'ἐ)ν Ἐρι-φύλῃ Σ(τησίχορ)ος, ὅτι Κα(πανέα καὶ Λυ)κοῦρ(γον.

Philodemus igitur aut eandem atque Apollodorus aut simillimam variorum testimoniorum supellectilem ante oculos habuerit necesse est; poëtas melicos Cinesiam et Telesten de suis addidisse videtur, cum ei hoc poëseos genus maxime in deliciis fuisse veri non sit dissimile[3]). Talia vero semel collecta ab hominibus in veterum poëtarum scriptorumque operibus versatis et variari multis modis et amplificari par erat; ita fit ut fere eosdem auctores tamquam eiusdem rei testes, additis tamen etiam aliis, apud Sextum Empiricum adv. mathem. I 12, p. 271 invenias[4]). Ceterum ipsius Apollodori verba exscripsit scholiasta Euripidis schol. Alcest. 1, Pherecydis et eorum, quos Sextus Empiricus addidit, tantum non omnium testimonio aucta[5]); cum hoc scholio denique conspirat schol. Pind. Pyth. III 96 valde sane decurtatum. Cum igitur iam ante bibliothecae natales simili modo huius rei testimonia collecta fuisse constet, ex his prioris aetatis thesauris Apollodorum sua hausisse, quamvis se ipsum haec omnia conquisivisse simulet, pro satis certo habeo.

---

[3]) Rectissime hoc observavit Ud. a Wilamowitz-Möllendorff amicus meus in libello elegantissime scripto „Zukunftsphilologie!" p. 21 adn. 28.

[4]) cf. Müller F. H. G. I p. 337 s.

[5]) Neminem spero fore, qui mihi scholium illud tamquam amplioris bibliothecae reliquum obiciat, nimirum auctores illos etiam in bibliotheca omnes quondam extitisse opinatus. Quod si quis nihilominus fecerit, eum brevi monuisse volo neque

Idem in ea cadit, quae tertio loco posui. Haec enim habes schol. Apoll. *A.* 1289 *Ἀπολλώνιος μὲν οὖν ἀπολελεῖφθαί φησι τὸν Ἡρακλέα περὶ Κίον ἐκβάντα ἐπὶ τὴν Ὕλα ζήτησιν. Διονύσιος δὲ ὁ Μιτυληναῖος συμπεπλευκέναι φησὶ τὸν ἥρωα τοῖς ἀριστεῦσιν ἕως Κόλχων καὶ ἐν τοῖς περὶ Μήδειαν συμπεπραχέναι τῷ Ἰάσονι. ὁμοίως καὶ Δημάρατος. Ἡρόδωρος δέ φησι μὴ συμπεπλευκέναι αὐτὸν καί τινας ἄλλους.* tum et aliorum scriptorum nomina adduntur et Pherecydis. *Φερεκύδης Ἡσιόδῳ (ἠκολούθησεν).* Hesiodus enim in Ceycis nuptiis Herculem Aphetis Thessaliae relictum esse tradiderat. Vides autem haec ita comparata esse, ut neque scholium illud ex bibliotheca fluxisse neque Apollodorus scholium illud ante oculos habuisse possit. Sed tanta inter utrumque locum intercedit similitudo, ut fieri non possit, quin ad eundem uterque redeat fontem. Animadverte ante omnia Demarati alioqui rarissimam esse memoriam.

De Niobidarum quoque numero satis antiquo tempore variorum scriptorum testimonia conquisita esse consentaneum est, cum huius rei inconstantiam fere in proverbium abiisse traditum sit; quamquam eae, quas Aelianus V. H. XII 36 Gellius N. A. XX 7 schol.

Polyanthi Cyrenaei neque Phylarchi ab Apollodoro mentionem fieri potuisse. Illorum enim unus Aesculapium quod Phineidas, alter quod Proetidas sanavisset, a Jove fulminatum esse tradiderat, cum Apollodorus se eos tantum, qui ab Aesculapio ad vitam revocati sint, enumeraturum esse diserte profiteatur. Praeterea illud *Φερεκύδης ἐν τῇ ὀγδόῃ τῶν ἱστοριῶν* Apollodori usui repugnat.

Eur. Phoen. 159 exhibent, copiae a bibliotheca diversae sunt.

Sed cum duobus exemplis evicerimus, Apollodorum non ipsum testes suos corrasisse, sed potius aliorum expilasse thesauros, idem etiam in ceteris factum esse valde est veri simile. Adde, quod testes illi minime per totum libellum aequabiliter laudantur, sed mentio eorum paucis quibusdam fabulis continetur. v. c. I. et II. ad Tydeum, IV. V. VI. ad antiquissimas res Argivas spectant. Itaque hos scriptores aut notos fuisse Apollodoro aut ab eo in hoc libello exscriptos esse, nisi alia argumenta accedunt, ex his locis concludi nequit.

Eximendos igitur esse de eorum, quorum fragmenta te ex bibliotheca eruturum esse aliqua cum probabilitate speraveris, numero censeo hos: Thebaidos, Alcmaeonidos, *νόστων*, Naupacticorum, Orphicorum auctores, Asium, Cercopem, Pisandrum epicos, Telesillam lyricam, Castorem, Demaratum, Dionysium, Melesagoram historicos; quorum de nonnullis pauca adnotabo.

Thebaida Apollodorus ita neglegit, ut non solum in bello septem heröum exponendo Pherecydem (fr. 51 bibl. 90, 17—25) potius, quam carmen illud sequatur, sed etiam rei in Thebaide commemoratae testimonium non ex illa, sed ex Euripidis Phoenissis repetat.

90, 15 *ὡς δὲ Εὐριπίδης φησὶ Παρθενοπαῖον ὁ Ποσειδῶνος παῖς Περικλύμενος ἀπέκτεινεν.* cf. Eur. Phoen. 1160—69.

Theb. fr. 5 Welcker. (Paus. IX 18, 4.) *ἐπεὶ τά γε ἐν Θηβαΐδι ἔπη τὰ εἰς τὴν Παρθενοπαίου τελευτὴν Περικλύμενον τὸν ἀνελόντα φασὶν εἶναι*

Alcmaeonis fata in bibliotheca ita enarrantur, ut scriptorem potius poëtam tragicum quam carmen epicum ante oculos habuisse primo obtutu perspiciatur; id quod iam recte intellexit Heynius II p. 257. Quod si Welckerus fragmentum illud, quod schol. Apoll. *Α* 308 extat, recte ad Alcmaeonida retulit, Mantus fata ab Apollodoro similiter narrata sunt, atque ab Alcmaeonidis auctore. v. bibl. 92, 15. Sed hanc rem nimis premere noli; haec enim fabula ita constabat, ut unicuique, qui de expeditione Epigonorum acturus esset, eodem modo explicanda esset neque profecto Apollodoro opus esset ad vetus carmen confugere.

Cercopis nomine quae adferuntur, ea ad Aegimium probabiliter refert Kirchhoffius (Die Comp. d. Od. p. 64s.) At quae in bibliotheca de Ione narratur fabula, eam non ex Aegimio, sed ex eius, cuius versus 36, 25 indicantur, Hesiodi catalogo fluxisse existumo.

Asium si Apollodorus manu habuisset, adnotasset 36, 2 et 94, 17, illum quoque, similiter atque Hesiodum, Pelasgum e terra gigni fecisse. Asius fr. VIII.

Pisander falsarius est Alexandrinus, de quo egregie Welckerus ep. Cycl. I p. 91. Eidem omnia, quae in scholiis in Apollonium sub Pisandri nomine adferuntur, recte tribuuntur. Depromptum est id, quod in bibliotheca habes, fragmentum ex fabulis Aetolicis, quas et ipsas in immenso illo opere tractatas fuisse ex fr. 15 Duebner. discas.

Demarati memoria, si duo illa quae supra attuli quaeque unius instar sunt, testimonia exceperis, apud unum Parallelorum et Fluviorum auctorem recurrit,

cuius de testibus quid statuendum sit, hodie neminem fugit. Sed cum non habeamus, cur Apollodori scholiorumque illorum fonti fidem abrogemus, iis potius Demaratus adnumerandus est, quorum scripta tantum falsarius ille finxit, non nomen.

Dionysium eundem esse, qui vulgo Mytilenaeus sive Scythobrachion vocetur, M. Antoni Gniphonis rhetoris aequalem et contubernalem[6]), Diodori in fabulis, quae ad Argonautas spectant, praecipuum auctorem et ex scholiis in Apollonium l. l. patet et recte statuit Welckerus[7]). Ceterum huius auctoris mentio eis argumentis addi potest, quibus in priore capite hunc libellum a clariore illo Apollodoro non esse scriptum ostendere studui.

Horum igitur scriptorum frustula in bibliotheca latere veri est dissimile. Sed ambigitur de Herodoro Heracleota. Huic enim multa, quae in bibliotheca insunt, deberi et Heynius II p. 134. 356. et Od. Müllerus Dorier II p. 448s. multis argumentis efficere studue-

---

6) Sueton. de grammat. 7.

7) Ep. Cyclus p. 82. Nollem Hachtmannum de Dionysio Mytilenaeo sive Scythobrachione Bonnae 1865 hoc Welckeri iudicium impugnasse. Ille quae de *γὰρ* particula profert p. 36, nugae sunt; immo *μὲν γὰρ*, quod saepius apud Apollodorum invenitur, ita usurpatur, ut cur quid in praecedentibus omissum sit, indicetur; v. c. 51, 6. *ἔλαβε παρ' Ἑρμοῦ μὲν ξίφος, παρ' Ἀπόλλωνος δὲ τόξα, παρὰ δὲ Ἡφαίστου θώρακα χρυσοῦν, παρὰ δὲ Ἀθηνᾶς πέπλον. ῥόπαλον μὲν γὰρ αὐτὸς ἔτεμεν ἐκ Νεμέας.* clavam inquit, in hac enumeratione non commemoravi; eam enim non a dis accepit, sed ipse sibi paravit.

runt. Habet sane haec sententia aliquid quod adrideat; tamen iudicium meum ab iis seiungere malo. Similitudo enim, quam illi inter Apollodorum et Herodorum intercedere volunt, minime tam late patet, quam illis placuit; immo uno tantum continetur exemplo, quod sane nihil habet dubitationis. Nihil autem in hac quaestione magis cavendum est, quam ne, si Apollodorum in una alterave re cum aliquo scriptore consentire viderimus, statim illum fontibus bibliothecae addamus; quasi vero non ambo ad eundem fontem redire aut uno pluribusve aliis scriptoribus interpositis inter se cohaerere possint. Atque in rebus, quae ad Argonautarum fabulas spectant, hoc praecipue premitur, quod uterque Idmonem et Tiphyn in Mariandynorum terra obire facit. 30, 17—20. Herod. fr. 56. 58. At in iis, quae hanc narrationem continuo excipere debebant, dissentiunt, cum Herodorus Tiphy mortuo Erginum fr. 59, Apollodorus Ancaeum navem gubernasse tradat; immo Apollodorus, id quod paulo post accuratius expositurus sum, cum Argonautarum expeditionem fere omnem tum hanc narratiunculam ex Apollonio Rhodio hausit v. Argon. *B* 814—34. 854. 865. Ceterum equidem non negabo, factum esse posse, ut Herodorus hanc fabulam, quippe quae tota in tumulis prope Heracleam sitis niteretur, primus literis mandaret, aut ut Apollonius sua Herodoro deberet; sed Apollodorum non ipsum Herodorum, sed Apollonium ante oculos habuisse contendo.

Quae autem ad Herculem pertinent fabulae, eas Herodorus primus mythico ornatu exutas *καθ' ὑπόνοιαν*

explicuisse videtur[8]). Hanc rationem, ad Homeri interpretationem iam Theagenem Rheginum, Stesimbrotum Thasium, Metrodorum Lampsacenum adhibuisse constat[9]). Ad Herculem quod attinet, Herodorus duces habuit sophistas, quorum cum disciplina necessitudine quadam coniunctus fuisse videtur, si quidem filius certe eius Bryson tamquam sophista commemoratur[10]). Atque id potissimum egisse videtur Herodorus, ut quae ab illis imprimisque a Prodico[11]) in laudationibus inchoata tantum atque adumbrata essent, peculiari opere historico persequeretur et perficeret. Diversissimum profecto a bibliotheca consilium! Sed iam singula perlustremus. Fr. 1 nollem quemquam pro fonte eorum, quae in bibliotheca de Persei filiis narrantur, habuisse; prorsus enim diversum apud utrumque habes stemma.

Herod. fr. 1.	bibl. 46, 8—18.
Perseus - Andromeda	Perseus - Andromeda
Alcaeus, Sthenelus, Mestor, Electryon	Alcaeus, Sthenelus, Eleius, Mestor, Electryon
Hippothoe cum Neptuno	Hippothoe cum Neptuno
Pterelaus	Taphius
Teleboas, Taphius.	Pterelaus.

[8]) cf. fr. 24 *Ἡρόδωρος δὲ τὸν Ἡρακλέα μάντιν καὶ φυσικὸν γενόμενον ἱστορεῖ παρὰ Ἄτλαντος τοῦ βαρβάρου τοῦ Φρυγὸς διαδέχεσθαι τοὺς τοῦ κόσμου κίονας, αἰνιττομένου τοῦ μύθου τὴν τῶν οὐρανίων ἐπιστήμην μαθήσει διαδέχεσθαι.* praeterea fr. 18. 23.

[9]) Plat. Jon. p. 530 C. D. Wolf proleg. p. 161.

[10]) Aristoteles fr. 10 — 12. Theopomp. fr. 279.

[11]) Plat. sympos. p. 177 B. Welcker Prodikos von Keos. Kl. Schr. II p. 466.

Tum Herodorus fr. 4 Herculem ab Amphitruonis bubulcis educatum esse, fr. 5. 6. eundem quatuor cubitorum et unius pedis longitudinis fuisse tradit; inde illud fluxisse volunt, quod in bibliotheca narratur 49, 21—25, Herculem post Linum occisum ab Amphitruone in agros relegatum esse ibique tanto opere convaluisse, ut *σῶμα τετραπηχυϊαῖον* haberet. At a bibliothecae narratiuncula praeceptorum, quos ante Lini caedem habuit Hercules, catalogus seiungi nequit 49, 12—17; ibi autem Herculem in arte sagittaria ab Euryto institutum esse traditur, cum Herodorus fr. 5. ei eiusdem rei praeceptorem tribuat Teutarum Scytham. Praeterea considera, ex quo contextu fragmentum evolsum sit; extat enim schol. Theocrit. XIII 9. *Ἀριστοτέλης φησὶν ὑπὸ Ῥαδαμάνθυος παιδευθῆναι τὸν Ἡρακλέα, Ἡρόδωρος δὲ ὑπὸ τῶν βουκόλων Ἀμφιτρύωνος.* Ex hac oppositione id effici puto, secundum Herodorum Herculem politiore humanitate imbutum non esse, sed rusticum inter rusticos adolevisse; at huic sententiae repugnat, quod apud Apollodorum cum historiola illa artissime coniunctum legis 49, 13. 14. Castorem et Linum Herculem instruxisse. Denique si usquam huius libelli, in his certe verbis disiecti membra poëtae invenias *τετραπηχυιαῖον μὲν γὰρ εἶχε τὸ σῶμα, πυρὸς δὲ ἐξ ὀμμάτων ἔλαμπεν αἴγλην.* cf. Nauk fr. trag. graec. p. 656. fr. adesp. 19.

Excipit cancer a Iunone hydrae auxilio missus fr. 13; quam fabulam vulgarissimam eodemque modo a Panyasi fr. 2 Duebner et ab Hellanico fr. 40 narratam hodieque in vasis fictilibus pictam invenias.

Hoc unum igitur Heynio et O. Müllero concedimus, quae ab Apollodoro 63, 18 — 65, 2 exponuntur, ea simili modo ab Herodoro narrata esse videri. cf. fr. 26. 27. 33. Sed tum quoque dubitari licet, num ex ipso Herodoro Apollodorus hauserit an aliis scriptoribus interiectis cum illo cohaereat; ut illud mihi persuadeam, quod minime constare puto, re vera Heracleotam primum haec literis mandasse.

Idem cadit in nomen pueroli ab Hercule invito necati, quod uterque Eunomum fuisse tradit Herod. fr. 31 bibl. 68, 21, praesertim cum idem sub Diodori[12]) illo *Εὐρύνομος* latere iam C. Müllerus recte observaverit.

De Herodoro igitur rem in medio relinquo, ad eos iam scriptores transiturus, quorum fragmenta e bibliotheca certa ratione aut iam eruta sunt aut erui possunt.

Pherecydes, cui facile primus locus tribuendus est, laudatur

in theogonia 8, 16 de Orione, 9, 31 de Triptolemo,

in Deucalionide 19, 13 de Tydeo, 28, 13 de Hercule,

in Inachi stirpe describenda 36, 28 de Argo, 49, 7 de Hercule, 68, 11 de cornu Amaltheae, 75, 14 de Thaso, 79, 18 de Cadmo, 79, 31 de Harmoniae monili, 89, 17 de Tiresia,

in fabulis Arcadicis 95, 15 de Callisto,

in Asopi stirpe exponenda 107, 2 de Telamone;

contra neque in Atlantis genere explicando neque in Atticis fabulis mentio eius occurrit.

---

[12]) IV 36, 2.

Praeterea Pherecydi, ut ex aliis testimoniis apparet, debentur haec:

in theogonia
- 7, 28 — 8, 4 = Pherecyd. fr. 5 de Tityo,

in Deucalionide
- 23, 29 — 24, 30 = Pherecyd. fr. 75 de Melampode,
- 26, 1 — 16 = Pherecyd. fr. 60 de Peliae sacrificio,
- 31, 28 — 32 = Pherecyd. fr. 73 de Apsyrto,

in Phoronide (sic enim tertiam particulam vocare possis)
- 42, 26 — 44, 20. 45, 7—31 = Pherecyd. fr. 26 de Perseo,
- 55, 21 — 31 = Pherecyd. fr. 32 de Stymphalidibus avibus[13]),
- 59, 10 — 13 = Pherecyd. fr. 33 h. de Solis poculo,
- 60, 17—22. 60, 28 — 61, 17. 61, 24 — 62, 8 = Pherecyd. fr. 33. fr. 21 de Hesperidibus,
- 66, 8—22 = Pherecyd. fr. 36 de Molionidibus,
- 86, 18—20 (*εἰσὶ δὲ οἵ κτλ.*) = Pherecyd. fr. 48 de Oedipi liberis,
- 90, 17—26 = Pherecyd. fr. 51 de morte Tydei,

in Arcadicis fabulis nihil inveni, quod ex Pherecyde fluxisse videri possit,

in Atlantide ea, quae 104, 21 *κατ' ἐνίους* voculis praemissis indicatur, fabulae forma Pherecydis est. v. fr. 99,

in Asopide 108, 1 — 4. 109, 28 — 31 = fr. 16. 17. 18 de Peleo,

in Atticis fabulis nihil Pherecydi deberi videtur.

---

[13]) Si quidem ea quae schol. Apoll. B 1055 extant *φασὶ δὲ αὐτὴν Ἡφαιστότευκτον οὖσαν Ἡρακλεῖ παρὰ τῆς Ἀθηνᾶς δοθῆναι* ex Pherecyde fluxerunt, id quod multis de causis veri simile est.

Ceterum Pherecydis frustula plerumque eorum, quos indicavi, versuum numerum utroque egrediuntur; veluti cum Melampus in fabula Pherecydi debita 24, 19 vocem avium intellegat, per se patet eam quoque historiolam Pherecydi deberi, qua quomodo ille hanc notitiam sibi comparaverit enarratur 23, 18—27. Sed talia per se quisque facile perspiciet; hic ea tantum adnotare satis duxi, quae cum Pherecydis fragmentis alibi servatis conspirant. Denique ipsum Pherecydis librum Apollodorum manibus habuisse propter similitudinem, quae bibliothecae cum ipsis Pherecydis verbis, quae v. c. fr. 60 servata sunt, intercedit, verisimile est. Sed ut in singulis fabulis saepissime Pherecydis scrinia compilantur, ita stemmatum ne unum quidem ei deberi videtur. Neque enim Deucalionidarum stemma Pherecydi tribui potest, cum, ut unum tantum moneam, Olenias, Tydei frater, quem Pherecydem commemorasse ipse Apollodorus testis est 19, 13, in bibliotheca inter Oenei filios 16, 27 non enumeretur neque ea, quae in bibliotheca extat, Inachi stirpis descriptio cum Pherecydis narratione fr. 22 consentit. De Pelasgi genere diversa habet Pherecydes fr. 85. Ad Atlantiadum progeniem quod attinet Pherecydes de Icarii uxore dissentit fr. 90. In Asopi stirpe ipse Apollodorus Pherecydis discrepantiam adnotavit 107, 2; in Atticis denique fabulis de Daedali parentibus, quos cum regum stirpe cohaerere constat, Pherecydes alia fr. 105, alia Apollodorus 118, 18.

Pherecydi adiungo Acusilaum, cuius nomen neque in Deucalionide neque in theogonia commemoratur; laudatur ille

in Phoronide 35, 31 de Pelasgo, 36, 21 de Argo panopta, 41, 2 de Proetidibus, 56, 1 de Minois tauro, 81, 1 de Actaeone,

in fabulis Arcadicis 94, 16 de Pelasgo,

in Atlantide 102, 3 de Megapenthe,

in Asopide 106, 18 de Asopo,

in fabulis Atticis 115, 16 de morte filiorum Aquilonis.

Observandum autem est, Acusilaum ter in novae particulae prooemio laudari, ita quidem, ut tum potissimum Apollodorus opera eius cum eo, quem ut praecipuum singulae particulae sequitur ducem, auctore contulisse videatur. Temporis invidia amplioribus Acusilai fragmentis destituti sumus. Ita fit, ut non eadem fide totas bibliothecae particulas ad Acusilaum referre possimus atque ad Pherecydem. Attamen etiam totas narrationes Acusilao deberi cum per crebram huius scriptoris mentionem veri simile est, tum hac contemplatione ad aliquam certe probabilitatem perducere posse mihi videor.

Constat Acusilaum in genealogiarum libris Hesiodi vestigia satis accurate persecutum esse, ita tamen ut multa multis modis mutaret. Clem. Alexand. Strom. VI p. 629 A. Iosephus contra Apionem I p. 1034. Quos auctores vera testari ex iis bibliothecae locis intellegas, quibus Hesiodi et Acusilai sententiae inter se conferuntur. Atqui in bibliotheca nonnunquam narrationes occurrunt, quas primo obtutu Hesiodo tribuere non dubitaveris; sin accuratius consideraveris, Apollodorum in singulis ab Hesiodo valde dissentire cognoscas. Veluti

bibl. 3, 1—4 = Hesiod. theog. 147—153,
4—10 = - - 139—143. 720,
10—15 = - - 133—138.

Sed Apollodorus non solum alio ordine, atque Hesiodus, Caeli liberos in lucem edi facit, sed etiam Titanidum numero adiecit Dionen, nisi fallor, ex carmine Orphico v. Hermann Orphica fr. VIII 24.

Similiter bibl. 5, 26. 27	=	Hesiod. theog.	921—923,
5, 28—30	=	- -	901—906,
5, 31—32	=	- -	907—911,
5, 32. 6, 1—3	=	- -	915—917.
			77—79.

Sed interpositus est Veneris ex Dione partus 5, 30, cum secundum Hesiodum (theog. 188) eadem ex Caeli genitalibus oriatur. Praeterea apud Hesiodum (theog. 911—914) Ceres, in bibliotheca Styx mater est Proserpinae 5, 32. Similibus rebus scatent fere prima bibliothecae capita. At tales mutationes quis tribuat ipsi Apollodoro? Cur ille mutasset? aut unde haec omnia sumpsisset? Nonne in Pherecyde considerando perspeximus, quam accurate Apollodorus fontes exscriberet? Negamus igitur ipsum Apollodorum haec mutasse; quid vero, si invenit apud Acusilaum? Illi certe ut tali modo variaret, tota operis ratio suadere debuit. Accecedit, quod vox *Τιτανίδες* 3, 14 apud Hesiodum non invenitur, extabat apud Acusilaum fr. 2. Quare quamvis dubitanter in his bibliothecae particulis vestigia latere Acusilai suspicor.

Idem in ea, quae in bibliotheca de Prometheo, de Deucalionis diluvio, denique de tota Deucalionis stirpe narrantur, cadere puto. Multa sane in his insunt, quae Hesiodi carmina nobis in memoriam reducunt, veluti furtum ignis 13, 3 s., (cf. Hesiod. theog. 565—579 op. 50—53) Promethei supplicium ibid. (Hesiod. theog.

521—525) genus aeneum 13, 16 (op. 143 s.) alia. Sed neque haec ab Hesiodo in unam narrationem coniuncta sunt neque in iis, quae quidem aetatem tulerunt, carminibus quicquam aut de Prometheo hominum fabricatore aut de diluvio extat. An in catalogo fortasse haec narrata erant? Markscheffelius certe in huius carminis fragmentis ordinandis se satis arte ad bibliothecae narrationem applicavit; Bergkius[14]) totum illud carmen maximam partem ex hoc libello restitui posse arbitratur. Non negabo equidem aut re vera magnam inter bibliothecam et Hesiodi catalogum intercedere similitudinem aut summo cum fructu Markscheffelium hoc opusculum ad catalogi fragmenta explicanda adhibuisse. Hoc tantum concedere non possum, Apollodorum sua ex ipso Hesiodo hausisse, cum in singulis rebus eam inter utrumque diversitatem esse videam, quam Apollodori libidini tribuere nequaquam ausim. v. c. Pandora fr. V Marksch. et Thyia fr. VI Deucalionis filiae ab Apollodoro omittuntur; neque quinque tantum ut Hesiodus fr. VIII, sed septem Aeoli filios enumerat Apollodorus 14, 15, nimirum Magnes, quem Hesiodus fr. VI ex Thyia nasci facit, et Deion additi sunt. Quare hic quoque Apollodorum eum auctorem secutum esse suspicor, qui suo Marte Hesiodi narrationem correxit; id quod Acusilaum fecisse constat. Quod si recte disputavimus etiam Aesculapii historiolam 99, 8 — 100, 5 ad Acusilaum quam ad Hesiodum referre malo. v. fr. 25. Philodem. 63 p. 34, 5 s.

---

[14]) Griech. Literaturgesch. p. 1002 adn. 83.

Multo felicius cecidit in Asclepiade Tragilensi, qui his duobus tertius accedit; qui quamquam ab Apollodoro bis tantum 36, 29. 76, 6 neque in re satis gravi laudatur, extat tamen eius fragmentum, quod cum bibliotheca ita consentit, ut Apollodori narrationem illi deberi pateat. Utriusque verba apponam.

Asclepiades fr. 21 (schol. Eur. Phoen. 45).

Ἀσκληπιάδης δὲ λέγει τοὺς Θηβαίους εἰς ἐκκλησίαν καθ' ἑκάστην ἀθροίζεσθαι διὰ τὸ δυσαίνιγμα τῆς Σφιγγός· λόγιον γὰρ ἦν αὐτοῖς μὴ ἀπαλλαγήσεσθαι τῶν κακῶν, πρὶν ἂν τοὺς τῆς Σφιγγὸς λύσειαν χρησμούς·[15]) ὁπότε δὲ μὴ συνίοιεν ἁρπάζειν αὐτὴν, ὅντινα ἂν τῶν πολιτῶν βούλοιτο.

Apollodor. bibl. 86, 2 — 6.

Χρησμοῦ δὲ Θηβαίοις ὑπάρχοντος τηνικαῦτα ἀπαλλαγήσεσθαι τῆς Σφιγγὸς, ἡνίκα ἂν τὸ αἴνιγμα λύσωσι, καὶ συνιόντες εἰς αὐτὸ πολλάκις ἐζήτει[16]), τί τὸ λεγόμενόν ἐστιν, ἐπὰν δὲ μὴ εὕρισκον, ἁρπάσασα ἕνα κατεβίβρωσκε.

Quid quod ipsum illud Sphingis aenigma Asclepiadi deberi et Athenaeus V p. 456 B et schol. Phoen. 50 uno ore testantur. Atqui Apollodorum cum haec conscriberet:

---

[15]) Maiorem distinctionem posui, ut appareat *ἁρπάζειν* a *λέγει* non a *λόγιον ἦν* pendere, id quod Dindorfio placuisse videtur.

[16]) Verba foede corrupta; sensus in propatulo. Ipsam Apollodori manum restitui posse fere desperandum est. Certe quae adhuc adlata sunt, omni probabilitatis specie carent. *ἐζήτουν* Heynius *καὶ* deleri iubens, ceteros vide apud Westermannum. Ud. a Wilamowitz-Moellendorff meus mendum iam antiquitus extitisse ratus *ἐζήτει* i. q. *ζήτει* e margine irrepsisse suspicatur; sagaciter sane; sed ne hoc quidem statuto verba persanare possum.

ἦν δὲ τὸ αἴνιγμα, τί ἐστιν ὃ μίαν ἔχον φωνὴν τετράπουν καὶ δίπουν καὶ τρίπουν γίνεται; 86, 1 hunc aenigmatis versum ante oculos habuisse, quis est, qui non videat?

ἔστι δίπουν ἐπὶ γῆς καὶ τετράπον, οὗ μία φωνή κτλ.

Itaque in Sphingis fabula describenda Apollodorum Asclepiadis *τραγῳδούμενα* (inde enim se aenigma sumpsisse diserte testatur Athenaeus) ante oculos habuisse intellegitur. Quo semel perspecto etiam in Euripideis scholiis alia Asclepiadis frustula facile deprehendes. Veluti illic iis, quae supra exhibui, haec verba antecedunt: *τὴν δὲ Σφίγγα οἱ μὲν λέγουσιν ἔχειν πρόσωπον παρθένου, στῆθος δὲ καὶ πόδας λέοντος, πτερὰ δὲ ὄρνιθος. Σωκράτης δὲ ἐγχωρίαν αὐτὴν κτλ.* tum statim sequitur *Ἀσκληπιάδης δὲ κτλ.* Quae si cum his bibliothecae verbis contuleris 85, 29 *εἶχε δὲ πρόσωπον μὲν γυναικὸς, στῆθος δὲ καὶ βάσιν καὶ οὐρὰν λέοντος καὶ πτέρυγας ὄρνιθος,* statim intelliges, illos *οἱ μὲν* nullum alium esse quam Asclepiadem, cuius narrationi nonnulla ex Socrate hausta interposita sint. Fere eadem Sphingis descriptio schol. Phoen. 46 recurrit, ubi illa *λέγουσι δὲ καὶ θυγατέρα εἶναι Τυφῶνος καὶ Ἐχίδνης* eidem Asclepiadi debentur. cf. bibl. 85, 29. Eodem denique retulerim schol. 45 *ἁρπασθῆναι δέ φασιν ὑπ' αὐτῆς Αἵμονα τὸν Κρέοντος παῖδα* cf. bibl. 86, 7; quam fabulam Asclepiades ex Oedipodia fr. I Welcker sumpsisse videtur.

Atque cum ea, quae in bibliotheca de Sphinge narrantur, cum Oedipi Laiique fatis artissime cohaereant neque ullum diversitatis vestigium indagare possis, vix

dubitari potest, quin tota haec particula 84, 32 — 86, 27 ad Asclepiadem referenda sit. Immo etiam ea, quam paulo ante Pherecydi tribui, Euryganiae mentio 86, 18 ambigitur, utrum ex ipso Pherecydis opere an ex Asclepiadis libris descripta sit, cum illum et ipsum Pherecydis libros ante oculos habuisse ex fr. 3 et 5 discamus. Quod si quis quaerat, cuiusnam poëtae tragici fabulam hic Asclepiades exprimere voluerit, respondeam falli omnino eos, qui *τραγῳδούμενα* illa aut nihil continuisse quam fabularum argumenta aut ea, quae in iis re vera extitissent, argumenta tam accurate expressa fuisse statuant, ut neque quicquam omitteretur neque adderetur. Ex fragmento 3 apparet Asclepiadem opus suum minime secundum argumenta fabularum disposuisse, sed ordinem historicum similiter atque Apollodorum secutum esse. Res autem absolvitur fragmento 5, ubi ipsius verba servata sunt; elucet antea vulgarem de Ixione fabulam narratam fuisse; tum addit *προσιστοροῦσι δὲ ἔνιοι ὡς καὶ μανείη ὁ Ἰξίων, ὡς καὶ Φερεκύδης, καὶ τὴν ἐπὶ τοῦ τρόχου δὲ κόλασιν αὐτῷ παρεγκεχειρήκασι· ὑπὸ γὰρ δίνης καὶ θυέλλης αὐτὸν ἐξαρπασθέντα φθαρῆναί φασιν.* His igitur clarissimus ille Ixion Euripideus absolvitur (v. Plutarch. Moral. 19 E); quod tamen ab eo factum esse, qui data opera singularum fabularum argumenta describeret, quis sibi persuadeat? Immo id potius egisse videtur Asclepiades, ut eas, quae in scena conspici solerent, fabulas uno opere comprehenderet, non tam singulorum singulas tragoedias spectans, quam tragicum illum colorem, quo quaeque fabula, quae quidem a poëtis tragicis varie

tractatur, imbuatur necesse est, etiam in opere tantum non historico servans[17]). Quare si quis eandem rationem inter Asclepiadem et tragicos esse contendat, quae inter Pherecydem et carmina epica, non habeam, quod obiciam. Sed hanc rem pro huius dissertatiunculae consilio non longius persequar. In Oedipi autem fabula enarranda — hinc enim tota haec deliberatio profecta est — Asclepiades non solum Sophoclis Oedipum utrumque, sed etiam Phoenissarum Euripidearum prologum consuluisse videtur, ut hoc potissimum exemplo cognoscatur illum ex omnibus tragoediis ea libasse, quae sibi maxime adriderent.

Praeterea ea quoque, quae 87, 15 s. de Amphiarao et Eriphyle leguntur, satis accurate cum Asclepiadis fragmento 23 consentiunt.

Asclepiades fr. 23.

Ἀμφιάραος δὲ ὁ Ὀϊκλέους γήμας Ἐριφίλην τὴν Ταλάου καὶ διενεχθεὶς ὑπέρ τινων πρὸς Ἄδραστον καὶ πάλιν διαλυθεὶς ὁρκούμενος ὡμολόγησεν ὑπὲρ ὧν ἂν διαφέρωνται πρὸς ἀλλήλους αὐτός τε καὶ Ἄδραστος ἐπιτρέψειν Ἐριφύλην κρίνειν καὶ πείθεσθαι αὐτῇ. Μετὰ δὲ ταῦτα γινομένης τῆς ἐπὶ

Apoll. bibl. 87, 15 — 32.

Ἀμφιάραος δὲ ὁ Ὀϊκλέους μάντις ὢν καὶ προειδὼς ὅτι δεῖ πάντας τοὺς συστρατευσαμένους χωρὶς Ἀδράστου τελευτῆσαι, αὐτός τε ὤκνει στρατεύεσθαι καὶ τοὺς λοιποὺς ἀπέιρεπε. Πολυνείκης δὲ … δοὺς αὐτῇ (τῇ Ἐριφύλῃ) τὸν ὅρμον ἠξίου τὸν Ἀμφιάραον πεῖσαι στρατεύειν· ἦν γὰρ ἐπὶ ταύ-

[17]) In eandem sententiam prorsus diversa via pervenit Ud. a Wilamowitz-Möllendorff.

Θήβας στρατείας, ὁ μὲν Ἀμφιάραος ἀπέτρεπε τοὺς Ἀργείους καὶ τὸν ἐσόμενον ὄλεθρον προεμαντεύετο. Λαβοῦσα δὲ ἡ Ἐριφύλη τὸν ὅρμον παρὰ τοῦ Πολυνείκους τὸν τῆς Ἁρμονίας, προσέθετο τοῖς περὶ Ἄδραστον βιαζομένοις τὸν Ἀμφιάραον [συστρατεύειν αὐτοῖς. Τὸν δὲ Ἀμφιάραον add. Buttmannus] ἰδόντα τὴν τῶν δώρων ὑποδοχὴν καὶ πολλὰ τὴν Ἐριφύλην αἰτιασάμενον, αὐτὸν μὲν ἐξορμῆσαι πρὸς τὴν στρατείαν, Ἀλκμαίωνι δὲ προστάξαι μὴ πρότερον μετὰ τῶν ἐπιγόνων ἐπὶ Θήβας πορεύεσθαι, πρὶν ἀποκτεῖναι τὴν μητέρα κτλ.

τῃ· γενομένης γὰρ αὐτῷ μάχης (sic Bekkerus γ. γ. αὐτῆς cod.) πρὸς Ἄδραστον διαλυσάμενος ὤμοσε, περὶ ὧν ἂν Ἄδραστος διαφέρηται διακρίνειν Ἐριφύλῃ συγχωρῆσαι. ὅτε οὖν ἐπὶ Θήβας ἔδει στρατεύειν, Ἀδράστου μὲν παρακαλοῦντος, Ἀμφιαράου δὲ ἀποτρέποντος Ἐριφύλη τὸν ὅρμον λαβοῦσα ἔπεισε τῷ Ἀδράστῳ στρατεύειν[18]), Ἀμφιάραος δὲ ἀνάγκην ἔχων στρατεύεσθαι τοῖς παισὶν ἐντολὰς ἔδωκε, τελειωθεῖσι τήν τε μητέρα κτείνειν καὶ ἐπὶ Θήβας στρατεύειν.

Alteram habes narratiunculam aperte ex Asclepiadis libris profectam; sed longius progredi non ausim. Possunt sane ea, quae inter Oedipi mortem et Amphiarai profectionem interposita sunt, et ipsa ex Asclepiade fluxisse; sed certa argumenta deficiunt. In ipsius certe septem heroum expeditionis narratione paulo antea Pherecydis vestigia deprehendimus. Ceterum passim narrationes occurrunt ita comparatae, ut aperte poëtam

[18]) συστρατεύειν Westermann. sed v. Appian. b. c. I 42. τοῖς δ' ἐν αὐτῇ Ῥωμαίοις ἐκήρυξεν, εἰ μεταθεῖντο, στρατεύσειν ἑαυτῷ.

tragicum redoleant neque tamen ad certam tragoediam referri possint. Has Asclepiadi deberi veri simile est, ostendi nequit.

Trium igitur horum scriptorum multa frustula in bibliotheca latere confido; venio iam ad poëtas.

Homerus laudatur 7, 1 (Λ 578, Ο 18 passim), 40, 25 (Ζ 160), 42, 11 (Π 328), 75, 8 (Ζ 198. 9), 84, 18 (Ω 604). Ipsae tamen historiolae non tam secundum Homerum quam κατὰ τοὺς νεωτέρους enarrantur, ita quidem ut vel ibi, ubi ipsa Homeri verba versuum vinculis soluta adferuntur (15, 2 s. λ 311—317), recentiorum poëtarum commenta addantur 15, 12. schol. λ 318.

Ad Hesiodi theogoniam 319 s. spectat 42, 13. Praeterea laudatur Hesiodus 18, 30 de Periboea, 29, 22 de Harpyiis, 36, 1 et 94, 17 de Pelasgo, 36, 21. 36, 25 de Ione, 41, 1 de Proeti filiabus, 84, 16 de Niobae liberis, 89, 25 de Tiresia, 95, 13 de Callisto, 97, 8 de Atalanta, 111, 29 de Adonide.

Haec fere omnia ad catalogum et Eoeas pertinent. Quae de Proetidibus et de Tiresia narrantur, ad Melampodiam probabiliter retulit Markscheffelius. Contra falli eundem, nonnulla, quae Hesiodi nomine adferuntur, ad Aegimium spectare existumantem iam supra indicavi. Singula autem Hesiodi frustula eruere propter magnam illius et Acusilai similitudinem difficillimum est. Quid quod etiam ea, quae 36, 23 — 37, 21 de Ione exponuntur, dubito an rectius Acusilao tribuam.

Ex Apollonii Rhodii Argonauticis expeditio Argonautarum fere tota fluxit. Quae vera esse ut perspicias, apponam, quibus Apollonii versibus singula debeantur:

bibl. 26, 23	=	Argon.	*Α* 526. 527,
- 26, 25. 26	=	-	*Α* 301. 302,
- 27, 12—22	=	-	*Α* 607—622 et passim,
- 27, 24 — 28, 2	=	-	*Α* 960—1062,
- 28, 3—11	=	-	*Α* 1207—1279. 1345. 1348,
- 28, 17—27	=	-	*Β* 1—142[19]),
- 28, 28—29, 15. 29, 27—29	=	-	*Β* 177—300,
- 29, 30 — 30, 20	=	-	*Β* 317—343. 549—606. 814—834. 854. 865,
- 30, 21 — 31, 22	=	-	*Β* 970. 1247. *Γ* 210—416. 947—1146. 1246—1390,
- 32, 4—7	=	-	*Δ* 230—240[20]),
- 32, 8—17	=	-	*Δ* 506. 557—591. 627—709,
- 32, 22—26	=	-	*Δ* 922—963,
- 32, 27 — 33, 7	=	-	*Δ* 965. 514—520. 982—1227,
- 33, 8—17	=	-	*Δ* 1694—1730,
- 33, 18. 19. 22-28	=	-	*Δ* 1638—1693,
- 34, 1—5	=	-	*Δ* 1765—1781.

[19]) Hinc apparet, falli eos, qui in bibliotheca Palmerium secuti scripserint *κατὰ τὸν αὐχένα πλήξας ἀπέκτεινεν;* non enim cervicem Amyci Pollux frangit apud Apollonium, sed *κόψε μεταΐγδην ὑπὲρ οὔατος, ὀστέα δ' εἴσω ῥῆξεν.* Haec igitur capitis pars num illo *ἀγκὼν* (sic enim habent codices) significari potest? An simpliciter scribendum est *κατὰ τὸν ἀγῶνα?* cf. 10, 31.

[20]) Ex *Δ* 234 in verbis Apollodori *ἀπειλήσας, εἰ μὴ Μήδειαν ἄξουσιν, αὐτοὺς πείσεσθαι τὰ ἐκείνης* restituendum est *τίσεσθαι* pro *πείσεσθαι.*

Quid quod persaepe vel singulorum versuum rudera in bibliotheca inveniuntur; cuius rei pauca exempla apponam.

Bibl. 26, 23. *κατὰ δὲ τὴν πρῷραν ἐνήρμοσεν Ἀθηνᾶ φωνῆεν φηγοῦ τῆς Δωδωνίδος ξύλον.*	Argonaut. Α 526. *ἐν γάρ οἱ δόρυ θεῖον ἐλήλατο, τό ῥ᾽ ἀνὰ μέσσην* *στεῖραν Ἀθηναίη Δωδωνίδος ἥρμοσε φηγοῦ.*
Bibl. 28, 6. *Πολύφημος … σπασάμενος τὸ ξίφος ἐδίωξεν ὑπὸ λῃστῶν ἄγεσθαι νομίζων καὶ δηλοῖ συντυχόντι Ἡρακλεῖ.*	Argonaut. Α 1250. *αἶψα δ᾽ ἐρυσσάμενος μέγα φάσγανον ὦρτο δίεσθαι* *— — — — ἠέ μιν ἄνδρες* *μοῦνον ἐόντ᾽ ἐλόχησαν, ἄγουσι δὲ ληΐδ᾽ ἑτοίμην.* *ἔνθ᾽ αὐτῷ ξυμβλῆτο κατὰ στίβον Ἡρακλῆι.*
Bibl. 31, 7. *φάρμακον δίδωσι (ἡ Μήδεια τῷ Ἰάσονι) ᾧ καταζευγνύναι μέλλοντα τοὺς ταύρους ἐκέλευσε χρῖσαι τήν τε ἀσπίδα καὶ τὸ δόρυ καὶ τὸ σῶμα· τούτῳ γὰρ χρισθέντα ἔφη πρὸς μίαν ἡμέραν μήτε ὑπὸ πυρὸς ἀδικηθήσεσθαι μήτε ὑπὸ σιδήρου.*	Argonaut. Γ 1042—1050. *ἦρι δὲ μυδήνας τόδε φάρμακον, ἠΰτ᾽ ἀλοιφῇ* *γυμνωθεὶς φαίδρυνε τεὸν δέμας — — —* 1046. *πρὸς δὲ καὶ αὐτῷ δουρὶ σάκος πεπαλαγμένον ἔστω* *καὶ ξίφος, ἔνθ᾽ οὐκ ἄν σε διατμήξειαν ἀκωκαὶ* *γηγενέων ἀνδρῶν οὐδ᾽ ἄσχετος ἀΐσσουσα* *φλὸξ ὀλοῶν ταύρων· τοῖός γε μὲν οὐκ ἐπὶ δηρόν* *ἔσσεαι, ἀλλ᾽ αὐτῆμαρ.*

Bibl. 32, 27.	Argon. Δ 964.
παραμειψάμενοι δὲ Θρινακίαν νῆσον Ἡλίου βοῦς ἔχουσαν.	ὦκα δ' ἄμειβον Θρινακίης λειμῶνα βοῶν τρόφον Ἠελίοιο.

Haec qui consideraverit, non dubitabit, quin re vera Apollodorus Apollonium manu habuerit. Ceterum quod 32, 12 Iuno Minervae partes suscepit (cf. Apollon. Β 598), aut Apollodori aut librariorum errori tribuam. Cur autem ea, quae Argonautis in Libya acciderunt, omiserit (Apollon. Δ 1427—1638) eorumque loco alia ex alia Argonauticorum parte inculcarit (33, 8—17. Δ 1694—1730) rationem reddere non possum. Denique nonnulla ex Pherecyde inserta esse iam supra monui.

Sed alia quoque addita sunt ab Apollonio aliena. Non solum catalogus Argonautarum 26, 27 — 27, 11 ab Argonauticis diversus est, sed passim aliorum quoque scriptorum sententiae adnotantur veluti 28, 11—17 de Hercule in Mysia relicto, 28, 30—31 de Phinei patre, 28, 31 — 29, 4 de caecitatis eius causa, 29, 15—26 de Harpyiis, 33, 19—21 de Tali natura, 33, 27—32 de morte eiusdem. Atque de iis, quae de Hercule collectae sunt, variorum narrationibus iam supra egi; patet autem reliqua prorsus eiusdem generis esse, nisi quod scriptorum nomina celantur. Quid quod illa quoque, quae in bibliotheca de Phinei caecitate narrantur, in scholiis in Apollonium recurrunt? quamquam haec res tantis implicita est difficultatibus, ut me eas nullo modo dissolvere posse ingenue fatear. Haec enim habet Apollodorus l. l. *καὶ πηρωθῆναί φασιν αὐτὸν οἳ μὲν ὑπὸ θεῶν, ὅτι προύλεγε τοῖς ἀνθρώποις τὰ μέλλοντα.*

spectant haec ad ipsum Apollonium, ut ex *B* 179—186 elucet; similia habes schol. Apoll. *B* 178 (p. 399, 11 Keil). Pergit Apollodorus *οἱ δὲ ὑπὸ Βορέου καὶ τῶν Ἀργοναυτῶν, ὅτι πεισθεὶς μητρυιᾷ τοὺς ἰδίους ἐτύφλωσε παῖδας;* haec eadem esse videntur atque illa, quae schol. Apoll. *B* 178 (p. 399, 9 Keil) Sophoclis nomine adferuntur. *Σοφοκλῆς δὲ ὅτι τοὺς ἐκ Κλεοπάτρας υἱοὺς ἐτύφλωσε Παρθένιον καὶ Κράμβον* (*Κάραμβιν* Holstenius, id quod praestare videtur) *πεισθεὶς διαβολαῖς Ἰδαίας τῆς αὐτῶν μητρυιᾶς.* Sophoclem non poëtam tragicum, sed grammaticum esse, cuius ex commentariis scholia in Apollonium excerpta sunt (cf. subscriptionem), egregie perspexit Th. Bergkius (Mus. Rhen. n. I p. 361 s.). Cui sententiae mire favent nomina illa Parthenius et Carambis, quippe quae ad certa illius regionis loca spectent; scilicet Parthenius est flumen (Apoll. *B* 936, *Γ* 876 cum scholiis), Carambis promontorium Paphlagoniae (Apoll. *B* 361. 943 cum scholiis). Talia autem grammatici sunt, non poëtae tragici; Athenienses enim spectatores has subtilitates vix intellexissent. Eandem Sophoclis narrationem exhibent schol. *Δ* 211 et Apollodorus 115, 19—23. Ceterum in illa bibliothecae particula noli offendere in diversis filiorum nominibus; sunt enim illa ex alio fonte profecta; Sophoclis frustulum inde a voce *ἔχων* demum incipit, id quod iam inde perspicitur, quia ea, quae 115, 22 narrantur, ab illis, quae 115, 15 exponuntur, discrepant. Sed ad ea redeamus, unde profecti sumus; haec enim illic Apollodorus *τινὲς δὲ ὑπὸ Ποσειδῶνος, ὅτι τοῖς Φρίξου παισὶ τὸν ἐκ Κόλχων εἰς τὴν Ἑλλάδα πλοῦν ἐμήνυσεν.* Atque in

scholiis Apoll. *B* 181 haec leguntur *πεπηρῶσθαι δὲ Φινέα φησὶν Ἡσίοδος ἐν Μεγάλαις Ἠοίαις, ὅτι Φρίξῳ τὴν ὁδὸν ἐμήνυσεν*. Perfacile hic concentus restitui potest, dummodo in scholio scribas *τοῖς Φρίξου*; sed vereor ne tum interpolatoris potius partes acturi simus, quam critici. Neque cum Istri narratione bibliothecae verba nisi vi adhibita conciliari possunt; Istrum enim habes schol. Apoll. *B* 207. *Ἴστρος δέ φησι τὸν Αἰήτην γνόντα ὅτι τοὺς Φρίξου υἱοὺς εἴη σεσωκὼς ταῖς μαντείαις, καταράσασθαι αὐτῷ, τὸν δὲ Ἥλιον ἐπακούσαντα πηρῶσαι*. Neque enim pro certo habeo, apud Istrum quoque Phineum Phrixi filios ita servasse, ut iis viam ostenderet, neque pro *Ποσειδῶνος* scribere ausim *Ἡλίου*; quamquam similem errorem 30, 12 commissum invenimus. Hanc igitur rem in medio relinquo.

Hoc tantum ex iis, quae disputavimus, effici puto, Apollodorum aut ipsum Sophoclis commentarium aut alium librum nescio quem cognovisse, cuius auctor Sophoclis scrinia compilaverat; quo statuto omnes eiusmodi adnotationes, quae quidem expeditioni Argonautarum insertae sunt, ad eundem fontem referri consentaneum est.

Euripides in bibliotheca quater diserte laudatur; 90, 15—17 et 97, 10 ad Phoen. 1160—69 Kirchhoff. spectant; 37, 32 quo referendum sit, non constat, 94, 3 Alcmaeonis *τοῦ διὰ Κορίνθου* habes argumentum. Praeterea vulgo summa cum probabilitate statuunt 17, 1 — 18, 14 Meleagri, 78, 7—31 Polyïdi, 83, 19 — 84, 5 Antiopae, 110, 9—13 Phoenicis extare argumenta. Res certa est in Medea 34, 27 — 35, 3. Similiter Tyrus Sophocleae argumentum 22, 11—27 indagasse sibi videntur viri

docti. Dubitare autem possis, utrum ipsas tantum fabulas habuerit Apollodorus an grammaticorum studia in illis posita in usum suum converterit. Atqui Medeae argumentum si consideraveris, satis accurate id cum illo argumento consentire invenies, cui in codice Florentino Dicaearchi nomen praescriptum est. Accedit, quod Glauces, Mermeri, Pheretis nomina in ipsa Euripidis fabula nusquam reperiuntur, occurrunt et in argumento laudato et in scholio 118. Denique in bibliotheca haec adduntur *λέγεται δὲ ὅτι φεύγουσα τοὺς παῖδας ἔτι νηπίους ὄντας κατέλιπεν, ἱκέτας καθίσασα ἐπὶ τὸν βωμὸν τῆς Ἥρας τῆς ἀκραίας, Κορίνθιοι δὲ αὐτοὺς ἀναστήσαντες κατετραυμάτισαν.* Eadem narratio paulo amplior in scholiis in Medeam 273 servata est, unde discimus et Creophylo haec deberi et a Didymo primo ad Medeam explicandam adhibita esse. Itaque apparet haec quoque Apollodorum ex commentariis hausisse.

Quod vero de Medea intelleximus, idem in cetera argumenta cadere consentaneum est, ita quidem, ut minime necesse sit ipsas poëtarum tragicorum fabulas cognoverit Apollodorus, dummodo *ὑποθέσεις* a grammaticis conscriptas manu habuerit.

Reliqui sunt Philocrates historicus, Stesichorus, Panyasis, Eumelus poëtae, quos consulto adhuc reservavi.

Philocratis scripta suspecta fuisse ex Athen. VI p. 264 A discimus. In bibliotheca ita commemoratur 110, 16, ut potius priori illi scriptorum generi adnumerandus sit, scilicet quorum testimonia Apollodorus non ipse conquisivit, sed ex fonte suo transtulit.

Stesichorus praeter locum laudatum etiam 98, 32 occurrit.

Panyasin habes 9, 30; ex eodem tota historiola traditur 111, 30 s.

Eumelus laudatur 95, 12. 95, 28. 102, 4; accedit, quod ea, quae 81, 14—16 de Baccho Rheae mysteriis initiato leguntur, fere itidem in Eumeli fragmento IX Markscheffel. inveniuntur, quamquam reliquae narrationis partes diversae sunt. Quaestio autem quae est de his tribus poëtis artissime cohaeret cum iis bibliothecae particulis, quibus aperte carminum argumenta exprimuntur, nomen poëtae celatur. Sed nonnunquam felicissimo casu evenit, ut aliis subsidiis adiuti nomen poëtae hodieque investigare possimus. Niobae e. g. fatum 84, 19 narratur ex Euphorione.

bibl. 84, 19 s.	schol. Ω 602 (cf. Meineke Anal. Al. fr. 135 p. 146).
εὔτεκνος δὲ οὖσα Νιόβη τῆς Λητοῦς εὐτεκνωτέρα εἶπεν ὑπάρχειν. Λητὼ δὲ ἀγανακτήσασα τήν τε Ἄρτεμιν καὶ τὸν Ἀπόλλωνα κατ᾽ αὐτῶν παρώξυνε· καὶ τὰς μὲν θηλείας ἐπὶ τῆς οἰκίας κατετόξευσεν Ἄρτεμις, τοὺς δὲ ἄῤῥενας κοινῇ πάντας ἐν Κιθαιρῶνι Ἀπόλλων κυνηγετοῦντας ἀπέκτεινεν. .... αὐτὴ δὲ	*ἐπαρθεῖσα δὲ (ἡ Νιόβη) τῷ πλήθει τῶν παίδων καὶ τῇ καλλονῇ ὠνείδιζε τῇ Λητοῖ ὅτι δύο μόνους ἐγέννησεν Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν καὶ ὅτι εὐτεκνωτέρα αὐτῆς ἐστιν. Ἀγανακτήσασα δὲ ἡ θεὸς ἔπεμψεν ἰοὺς τοῖς παισὶν αὐτῆς καὶ Ἀπόλλων μὲν τοὺς ἄῤῥενας ἀναιρεῖ κυνηγετοῦντας ἐν τῷ Κιθαιρῶνι, Ἄρτεμις δὲ τὰς θηλείας ἐπ᾽ οἴκου οὔσας· θρηνοῦσαν οὖν τὴν Νιόβην τὸ*

Νιόβη Θήβας ἀπολιποῦσα πρὸς τὸν πατέρα Τάνταλον ἧκεν εἰς Σίπυλον κἀκεῖ Διὶ εὐξαμένη τὴν μορφὴν εἰς λίθον μετέβαλε καὶ χεῖται δάκρυα νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν τοῦ λίθου.

τοιοῦτον δυστύχημα Ζεὺς ἐλεήσας εἰς λίθον μετέβαλεν, ὃς καὶ μέχρι νῦν ἐν Σιπύλῳ τῆς Φρυγίας ὁρᾶται παρὰ πάντων πηγὰς δακρύων προϊέμενος. Ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι.

Haec ita comparata sunt, ut nec scholium ex bibliotheca neque bibliothecae narratio ex scholio fluxisse possit; utrumque igitur ad eundem fontem referatur necesse est. Primo sane obtutu ipsum Apollodorum Euphorionis carmen manu habuisse suspiceris. Sed si accuratius consideraveris, hanc sententiam nullo modo stare posse intelleges. Tanta enim est singulorum enuntiatorum, tanta etiam verborum nullo poëtico colore imbutorum (v. c. *ἀγανακτήσασα, ἐντεκνωτέρα, ἐν Κιθαιρῶνι κυνηγετοῦντας, ἐπ' οἴκου* vel *οἰκίας οὔσας*) similitudo, ut et scholium et bibliothecae narrationem ex eodem Euphorionis carminis argumento pedestri oratione conscripto fluxisse necesse sit. Inserta autem sunt huic Niobae fabulae varia variorum testimonia, quae non ipsum Apollodorum collegisse, sed ab aliis collecta in opusculum suum transtulisse iam supra intelleximus. Itaque et ipsam fabulam et testimonia illa ex eodem fonte hausta esse consentaneum est.

Hic igitur, quem Apollodorus in bibliotheca compilavit, auctor qualis fuerit, investigandum est. Atqui si ea, quae Schmidtius (Didymi Chalcenteri fragmenta p. 182) statuit, vera sint, omnes scholiorum in Iliadem

conscriptorum locos, quibus in fine additum legatur *ἡ ἱστορία παρὰ τῷ δεῖνα,* Didymo originem debere, iterum deferamur ad Didymum. Fuit certe *ἡ ἱστοριῶν πρόχειρος ἀπόδοσις* inter ea munera, quae Aristarchus grammatico imposuit; atque Didymum ipsum historiae fabulari operam navare constat; quem in censum minus peculiare illud opus, quod *ξένη ἱστορία* inscriptum erat, venire puto, quam eas, quas passim in scholiis et in Homerum et in tragicos conscriptis illius nomine praescripto adnotatas invenias, historiolas[21]). Eundem etiam variorum scriptorum varias sententias adnotasse ex schol. *T* 116 (p. 182 Schmidt.) cognosci licet. Sed ipsum Apollodorum Didymi commentarios manu habuisse ad liquidum perduci nequit. Quare in eo acquiescendum puto, ut statuamus Apollodorum historiolarum suarum nonnullas necnon testimonia pleraque auctori nescio cui debere, qui in fabulis corradendis similiter egerit, ac Didymum in commentariis conscribendis egisse videmus. Eadem autem via Stesichori, Panyasidis, Eumeli, Herodori denique, si qua sunt, frustula in bibliothecam delata esse suspicor.

Quae cum ita sint, talia carminum lyricorum vel epicorum argumenta passim bibliothecae inspersa esse conicias; quae spes minime te fallit. Prorsus eodem modo 16, 5—17 Eueni mors ex Simonide narratur.

---

[21]) E. g. Didymus schol. Eur. Hecub. 887 Herodoti narrationem (VI 138) satis accurate adnotavit, id quod fugisse videtur Dindorfium.

bibl. 16, 5.

Εὔηνος μὲν οὖν ἐγέννησε Μάρπησσαν, ἣν Ἀπόλλωνος μνηστευομένου Ἴδας ὁ Ἀφαρέως (v. 99, 3) *ἥρπασε λαβὼν παρὰ Ποσειδῶνος ἅρμα ὑπόπτερον. Διώκων δὲ Εὔηνος ἐφ' ἅρματος ἐπὶ τὸν Λυκόρμαν ἦλθε ποταμόν, καταλαβεῖν δὲ οὐ δυνάμενος τοὺς μὲν ἵππους ἀπέσφαξεν, ἑαυτὸν δὲ εἰς τὸν ποταμὸν ἔβαλε· καὶ καλεῖται Εὔηνος ὁ ποταμὸς παρ' ἐκείνου. Ἴδας δὲ εἰς Μεσσήνην παραγίνεται καὶ αὐτῷ ὁ Ἀπόλλων περιτυχὼν ἀφαιρεῖται τὴν κόρην· μαχομένων δὲ αὐτῶν περὶ τῶν τῆς παιδὸς γάμων, Ζεὺς διαλύσας ἐπέτρεψεν αὐτῇ τῇ παρθένῳ ἑλέσθαι, ὁποτέρῳ βούλεται συνοικεῖν· ἡ δὲ δείσασα, ὡς ἂν μὴ γηρῶσαν αὐτὴν Ἀπόλλων καταλίπῃ τὸν Ἴδαν εἵλετο ἄνδρα.*

Simonides fr. 216 Bergk
schol. I, 556.

Ἴδας ὁ Ἀφαρέως μὲν παῖς κατ' ἐπίκλησιν, γόνος δὲ Ποσειδῶνος Λακεδαιμόνιος δὲ τὸ γένος ἐπιθυμήσας γάμου, παραγίνεται εἰς Ὀρτυγίαν τὴν ἐν Χαλκίδι καὶ ἐντεῦθεν ἁρπάζει τὴν Εὐήνου θυγατέρα Μάρπησσαν. ἔχων δὲ ἵππους Ποσειδῶνος ἠπείγετο. ὁ δὲ Εὔηνος εἰς ἐπιζήτησιν ἐξῆλθε τῆς θυγατρός. ἐλθὼν δὲ κατὰ τὸν Λυκόρμαν ποταμὸν τῆς Αἰτωλίας ἑαυτὸν ἐκεῖ καθῆκεν· ὅθεν ὁ Λυκόρμας Εὔηνος ὠνομάσθη· κατὰ δὲ τὴν Ἀρήνην ἀπαντήσας ὁ Ἀπόλλων τῷ Ἴδᾳ λαμβάνεται τῆς Μαρπήσσης· ὁ δὲ ἔτεινε τὸ τόξον καὶ διεφέρετο περὶ τοῦ γάμου· οἷς κριτὴς ὁ Ζεὺς γενόμενος αἵρεσιν τοῦ γάμου ἐπὶ τῇ Μαρπήσσῃ τίθεται· ἡ δὲ δείσασα, μὴ αὐτὴν ἐπὶ γήρᾳ καταλίπῃ ὁ Ἀπόλλων, αἱρεῖται τὸν Ἴδαν· οὕτως δὴ Σιμωνίδης τὴν ἱστορίαν περιείργασται.

En alterum exemplum prorsus eiusdem generis, atque quod supra exhibui. Simili modo factum esse puto, ut hymni Homerici, qui in Mercurium compositus est, summa in bibliotheca exprimatur 97, 28 — 98, 23 cf. Hermann epist. ad Ilgenium p. XLIII s. Denique quae 55, 15 — 20 narrantur Bacchylidi (cf. fr. 60), quae 113, 21 — 31 extant, Eratostheni (schol. Il. *X* 29 Hiller Eratosthenis reliqu. p. 95) tribuenda esse existumo.

Haec sunt, quae de fontibus Apollodori indagare potui. Sed miretur fortasse quispiam in his plane omissum esse Hellanicum, cuius opera et cognovisse Apollodorum et exscripsisse praeter unum Heynium II p. 356 statuunt omnes. Quid quod Prellerus de Hellanico, Lesbio historico (Ausgewählte Aufsätze p. 31 s.) eo procedit, ut „Hellanicum praecipuum Apollodori fontem fuisse eumque bibliothecae suae quasi stamina ex commentariis Nostri duxisse" adfirmet. Quae sententia quamquam fortasse eo commendatur, quod singulis bibliothecae particulis eadem nomina dare possis, quibus Hellanicus libros suos notavit, (*Δευκαλιωνεία, Φορωνίς, περὶ Ἀρκαδίας, Ἀτλαντίς, Ἀσωπίς, Ἀτθίς*), tamen a viro clarissimo iudicium meum seiungere malo. Primum enim animadvertendum est, Hellanicum ab Apollodoro non, ut illi placuit, rarius tantum Pherecyde sed omnino nunquam laudari. Tum quibus in rebus accuratissimum consensum deprehendisse sibi videtur Prellerus, ne eae quidem ita comparatae sunt, ut eas ex Hellanico haustas esse aut necesse sit aut probabile. Haec enim adfert Prellerus.

Hellanicus (in Crameri anecdotis I p. 344).

Ἑλλάνικος δὲ καὶ Πελίαν ὠνόμαζεν (sic Prellerus. libri καὶ τὸν Π. ὠνομάζετο) ἐπεὶ ἐπελιώθη αὐτῷ ἡ ὄψις λακτισθέντι ὑπὸ τοῦ ἵππου.

bibl. 22, 16—21.

ἐκκειμένων δὲ τῶν βρεφῶν παριόντων ἱπποφορβῶν ἵππος μία προσαψαμένη τῇ χηλῇ θατέρου τῶν βρεφῶν πέλιόν τι τοῦ προσώπου μέρος ἐποίησεν. ὁ δὲ ἱπποφορβὸς — τὸν μὲν πελιωθέντα Πελίαν ἐκάλεσεν.

Quae narratio profecto neque inventa est ab Hellanico neque apud unum illum extabat. Singulorum autem verborum similitudinem quomodo quis in his indagare possit, non adsequor.

Idem in alterum exemplum cadit.

Hellanicus fr. 57.

Πάτροκλος ὁ Μενοιτίου τρεφόμενος ἐν Ὀποῦντι τῆς Λοκρίδος περιέπεσεν ἀκουσίῳ παίσματι. παῖδα γὰρ ἡλικιώτην Ἀμφιδάμαντος οὐκ ἀσήμου Κλισώνυμον ἤ, ὥσπερ τινές, Αἴαν περὶ ἀστραγάλων ὀργισθεὶς ἀπέκτεινεν. Ἐπὶ τούτῳ δὲ φυγὼν εἰς Φθίαν ἀφίκετο κἀκεῖ κατὰ συγγένειαν Πηλέως Ἀχιλλεῖ συνῆν. Φιλίαν δὲ ὑπερβάλλουσαν πρὸς ἀλλήλους διαφυλάξαντες, ὁμοῦ ἐπὶ Ἴλιον ἐστράτευσαν.

bibl. 110, 16—20.

(Πάτροκλος ὁ Μενοιτίου) ἐν Ὀποῦντι διενεχθεὶς ἐν παιδιᾷ περὶ ἀστραγάλων παῖδα Κλυσώνυμον[22]) τὸν Ἀμφιδάμαντος ἀπέκτεινε καὶ φυγὼν μετὰ τοῦ πατρὸς παρὰ Πηλεῖ κατῴκει καὶ Ἀχιλλέως ἐρώμενος γίνεται.

---

[22]) Hoc nomen, nisi fallor, ex Pherecyde, Philostephano, schol. Ψ 87 in Κλεισώνυμος mutandum est.

His quae communia sunt, ea fere omnia ex Iliadis versibus Ψ 85 sumpta esse possunt.

Εὖτέ με τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
Ἤγαγεν ὑμέτερόνδ' ἀνδροκτασίης ὕπο λυγρῆς
Ἤματι τῷ, ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος
Νήπιος οὐκ ἐθέλων ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.

Clisonymi nomen etiam apud Pherecydem fr. 19 et Philostephanum fr. 35 extat. Cetera autem plane diversa sunt, cum neque apud Apollodorum Patroclus Achillis sit proqinquus[23]) neque apud Hellanicum Menoetius filium in exilium sequatur; ut mittam, ne hoc quidem pro certo haberi posse, Hellanicum nimia illa amicitia venereum amorem indicare voluisse.

Denique in stemmatum descriptione, quantum ex fragmentis cognosci licet, Hellanicus ab Apollodoro prorsus diversus est; discrepat in Deucalionis stirpe describenda, nam neque Xenopatra fr. 10 neque Macedon fr. 46 in bibliotheca commemoratur neque Aeoli uxoris nomen fr. 10 apud Apollodorum idem est; discrepat in Jaso, Agenore, Pelasgo fr. 37; ad Atlantis filias quod pertinet, Steropen Hellanicus fr. 56 Oenomai matrem, Apollodorus 97, 18 uxorem facit; in rebus Troicis, quae in bibliotheca cum Atlantis stirpis descriptione cohaerent, duobus Electrae filiis Hellanicus addit Harmoniam filiam fr. 129. De Atticorum regum enumeratione, quippe quae tota ex corruptissimi scholii Eur. Orest. 1648 explicatione pendeat vix iudicare ausim. Quodsi Müllerus F. H. G. III p. 375 adn. 3

[23]) Est propinquus apud Hesiodum fr. 96. Markscheffel.

recte verba restituit, Apollodorus sane eandem regum seriem enumerat, quam Hellanicus, quatuorque illa Areopagitarum iudicia ad eosdem temporis terminos refert atque ille. At vereor, ne vir doctissimus audacius correxerit; nam ex mutilato illo scholio, quod codices Vaticanus et Marcianus ad v. 1648 servaverunt, cui quo iure fidem abrogemus non video, discimus eundem Hellanicum inter primum et quartum iudicium novem, non, ut placuit Müllero, undecim saecula interposuisse. Quare aut alium regum ordinem Apollodorus secutus sit quam Hellanicus aut id quod magis adridet et Schaefero[24]) quoque placuit, Hellanicus Neptuni Martisque litem non ad Cecropis, sed ad Amphictyonis aetatem retulerit necesse est. At cum Apollodori narratione neutrum consentit.

Ceterum singulas historiolas ex Hellanico haustas Apollodorum apud auctorem illum, cui Simonidis, Euphorionis, aliorum debet frustula, invenire potuisse nequaquam negaverim; atque ita fortasse quaestio quae est de Hellanici fr. 8 solvi posse videtur; sed res tantis implicita est difficultatibus, quantas hic enodare nec volo nec possum. Hoc vero vix concedam tanta Hellanici frustula in bibliotheca latere, quanta Pherecydis, Acusilai, Asclepiadis.

[24]) Quellenkunde d. griech. Gesch. p. 15.

VITA AUCTORIS.

Natus sum Carolus Robert a. d. VIII Id. Mart. a. h. s. L Marburgi Hassorum, patre Ferdinando medicinae in illa literarum sede professore, matre Catharina e gente D'Outrepont, quam ante hos septem annos praematura morte mihi ereptam esse vehementissime doleo. Admodum infantem pater me secum Confluentes duxit, ubi primum domi in literarum rudimentis institutus, postea inter gymnasii discipulos receptus sum. Tredecim annorum puer patrem Mattiacum secutus illius oppidi gymnasio traditus sum; ibi duo praecipue viri liberalium artium amorem in animo meo excitabant atque augebant, Immanuelus Bernhardt, cujus sub auspiciis hodie gymnasium Verdense floret, et Adolphus Seyberth. A. h. s. LXVIII maturitatis testimonio instructus Bonnam me contuli, ubi per quinquies senos menses audivi vv. dd. Bernaysium, Buechelerum, Delium, Diltheyum, Hillerum, O. Jahnium, R. Kekuleium, I. B. Meyerum, Schaeferum, I. Schmidtium, Simrockium, Springerum, a Sybelium, Usenerum. Buecheleri Usenerique singulari benevolentia factum est, ut seminarii philologici per bis senos menses sodalis essem ordinarius. Praeterea benigne concesserunt Bernays, ut Aristoteleis, Dilthey et Kekulé, ut archaeologicis, Hiller, ut philologicis, Springer, ut Vasarianis exercitationibus interessem. Cum vero aestate anni MDCCCLXX patria omnes, quicunque animo cor-

poreque valebant, ab adsueto munere ad periculum non minus artibus liberalibus omnique verae humanitati, quam omnium communi saluti imminens propulsandum convocaret, ego quoque ad arma properavi felicissimeque mihi evenit, ut gloriosissimi belli posteriori parti interessem. In patriam redux Berolinum migravi auditurus vv. dd. Curtium, Hauptium, Bonitzium, Kirchhoffium, Mommsenum. Bonitz, ut Aristotelearum exercitationum particeps essem, Curtius, ut archaeologicarum, concessit. Maximas denique gratias ago R. Schoellio, qui cum me in hac dissertatione conscribenda occupatum videret, codicis Laurentiani, quem ipse denuo excussit, scripturas summa liberalitate mecum communicavit. Omnium horum virorum memoriam pio semper gratoque animo colam; imprimis Kekulé et Springer Bonnenses, Curtius Berolinensis insigni, qua studia mea foverunt, benevolentia in perpetuum me sibi devinxerunt.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Moschi idyllium V inter duas personas ita dispertiendum est, ut v. 1—8 a piscatore, v. 9—13 ab agricola pronuncientur.

II.

Eratosthenis cognomen *πένταθλος* ex iis, quae (Plat.) Erast. p. 135 D. (Longin.) *περὶ ὕψους* 34 de pentathlis traduntur, explicandum est.

III.

Quam rationem O. Schneiderus (Callimachea p. 6) inter hymnorum Callimacheorum codices intercedere ostendit, eandem in Homericorum hymnorum libris Italicis observare licet, ita quidem, ut Ambrosianus ad Philelphi, Laurentianus ad Aurispae apographum referendus sit.

IV.

Eur. Orest. v. 431—6 Nk. insiticii.

V.

Suid. Phot. s. v. *Καρκίνου ποιήματα* sic scribo: *ὁ γὰρ Καρκῖνος Ὀρέστην ὑπ' Οἴακος* (*ὑπὸ Ἰλίου* Suid. *ὑπὸ Ἡλίου* Phot. *ὑπὸ Ἀπόλλωνος* Dobraeus) *ἀναγκαζόμενον ὁμολογῆσαι, ὅτι ἐμητροκτόνησεν, ἐποίησε δι' αἰνιγμάτων ἀποκρινόμενον.*

VI.

Schol. Apoll. II 1211 pro Herodoro Herodoti nomen restituendum est (cf. Her. III 5. 97).

VII.

Pherecyd. fr. 24 sic scribendum et distinguendum est: *τῶν γὰρ Προίτου θυγατέρων — ἁμαρτουσῶν εἰς Ἥραν (παραγενόμεναι γὰρ — οἶκον) καὶ διὰ τοῦτο μανεισῶν* (cod. *μάντις ὢν*) *παραγενόμενος ὁ Μελάμπους κτλ.*

VIII.

Pictura Pompeiana, quae M. d. I. VIII 22 in lucem edita est, et anaglypha a Prellero (Ber. d. sächs. Ges. 1850 p. 239) enumerata ex una Euripidis fabula, quae est Iphigenia Taurica, et possunt explicari et debent.

IX.

In Schilleri fabula, quae inscribitur „die Piccolomini" act. III scen. 8 v. 22 lege: dann treibt der himmel kein (vulgo sein) gewölk zusammen.